

05

A

2453



AL

CUM

*VI*  
DN

S.S. Th  
genfi B

DN

JU



I. N. 7.

EXEGESIS LUCULENTA  
IN PRIORIS EPISTOLÆ  
AD CORINTHIOS

CAPUT X.

CUM JUSTA DISCUSSIONE ANNO-  
TATORUM HUGONIS GROTH,

*Quam*

PRÆSIDE

*Perb.*

*VIRO Summè-Reverendo, Magnifico, Amplissimo atq; Excellentissimo*

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. in illustri Academia VVitteber-

genfi Primario consummatissimo, Templi Parochialis ibidem Pastore Vi-

gilantissimo, Circuli Electoralis Saxonici Superintendente Generali

Eminentissimo, & Consistorii Ecclesiastici

Assessore Gravissimo,

*DNO. Patrono, Promotore, & Præceptore suo etatem  
de venerando,*

DISPUTATIONI PUBLICÆ SUBJICIT

JUSTUS LUCAS WENZELIUS,

MECKLENBURG,

IN ELECTORALI SAXONICA INSTITUENDÆ

D,

Julii Anno M DC LXXIV.

WITTEBERGÆ,

EXCUDERAT JOHANNES WILCKIUS.




05 A 2453

EXIMIO, ET PRÆSTANTISSIMO  
DN. JUSTO LUCÆ VVENZELIO,  
AMICODILECTO  
PUBLICE CONTRA GROTIUM DISPUTANTI  
GRATULATUR  
ABRAHAM CALOVIUS, D.

**N**E reprobifiant, Patrum vestigia cautos  
Ut reddant Sanctos, Pagina Sacra  
monet.

Abstineant etiam licitis, ubi scandala certa;  
Gloria quæratuſemper, ubiq; DEL.  
Adſeris hæc doctè GROTII commenta re-  
fellens

Et quæ conſuevit tradere calva cohors,  
WENZELI, pergas ſtadium decurrere ceptum;  
Pergentem certò digna brabeja manent.



**S**ic iuvat eximium *studiorum* currere curſum,  
Si *sacra non ſacris* jungere quisq; velit.  
*Philosophùm ſtudium* coluiſti, *Fautor amande,*  
Hactenus, & *verbum* nunc colis uſq; DEL.  
Ex *Paulo* repetis *mysteria ſumma Jēbovæ,*  
Perge, *sacris ſtudiis* dicet Jēvabene!

JOHANNES Deutschmann/ D.  
Non

**N**ON, WENZELE, TIBI modo sufficit, haecenus altè  
Nifu Theiologis accubuisse Viris.  
Nec modo TE, multò libros voluisse labore  
Ingeniumq; domi perpoliisse, juvat.  
Majori nunc igne calent tua Corda; profectus,  
Qvos novi egregios, publica pugna probet.  
Gratulor hunc patriæ Natum; TIBI præmia quæ mox  
Digna Tuis studiis & pietate dabit.

*Hisce gratulatur egregios conatus Erudito ac  
maximè Industrio*

DNO. RESPONDENTI,

*Amico suavissimo*

GEORGIUS GREEN/ P. P. Ord.



**C**Uli impense suum libuit perpendere pensum,  
Impense redeunt huic meliore via.

*Impensis onerata ratis, si nauta superna  
Cerneret astra, redux fœnera multa vehit.*

*Scyllas ac syrtes nauclerus ut arceat arctas,  
Arctus adest superus, ne ratis ima petat*

*Per Sophie campos oculos atq; ora tulisti,  
WENZELI, ingenuos ausibus egregiis.*

*Nunc, quod non oculus perstrinxit, cernis, acutas  
Sectas discernis, cernere non satis est.*

*Ut cernas voveo, pia gestes bella labellis  
Doctiloquis! Cerni svescito! vive! vale!*

Ita

Doctiss. Dn. Wenzelio, Auditori Suo haecenus indefesso, Amico singulariter colendo,  
*applaud.*

CHRISTIANUS DONATI,


Log. ac Met. Prof. P. Extr.



**S**Acra piis, doctisq; placent; TE Sacra delectant:  
Hinc etiam doctus diceris atq; pius.

*Ita alloquitur Amicum suum singularem & Affinem  
dilectissimum ex Sacris Publicè disputantem*

JOHANNES GEORGIUS Gundelach/ Mecklenburg.



IN NOMINE JESU!

ANNOTATA  
PRIORIS EPISTOLÆ S. PAULI  
AD CORINTHIOS.

AD CAP. X.

ARGUMENTUM, & PARTITIO.

**D** Ergit cohortari Apostolos, ut studiosè sibi caveant, ne reprobi fiant, quum Patres ex nube atq; mari rubro baptizati omnes, & cibum ac potum Spiritualem eundem habuerint omnes, pleriq; tamen Deo displicuerint, in deserto cæsi, nobis in exemplū, ne cupiditatibus idololatriæ, scortationi indulgeamus, nec Christum tentemus, nec murmuramus, quemadmodum à Patribus, malo ipsorum maximo, factum; sed, qui stat, videat, ne cadat; si præsertim tentatio plus quam humana oriatur, quam tamen Deus fidelis penes suos supra vires non permittat. Porrò fugiendū idolorum cultum docet ob communicationem corporis & sanguinis Christi, & eorum, qui panis benedicti participes fiunt, spiritualem communionem in unō mystico corpore, ut ne in communionem sacrificiorum gentilium dæmonibus factorū veniamus, & una cum calice Domini etiam calicem dæmoniorum bibamus. Docet ad hæc, etsi liceant omnia, fugienda tamen esse ea, quæ non expediunt proximo. Et si omnibus vesci liceat, quæ venduntur, vel apponuntur, sine scrupulo, ob proximi tamen conscientiam, nostrâ etiam liberâ

DISPUTATIO  
PUBLICA  
RESPOND.  
JUSTO LUCA  
WENZELIO  
MECKLEN-  
BURG.

A

manen-

ANNOTATA

manente, abstinendum esse idolothytis, omniaq; facienda esse ad Dei honorem, cum scandali evitacione, & proximi ædificatione ad imitationem exempli apostolici.

Partes tres sunt (I) *Dehortatio à securitate* ad v. 13. (II) *Adhortatio ad fugiendam communionem cultus idolorum* ad v. 22. (III) *Commonefactio iterata* de rebus licitis ita liberè usurpandis, ut conscientia tamen proximi parcat, & omnia ad gloriam Dei fiant v. ult: ubi objectio dirimitur de *libertate Christiana*, cujus verum & legitimum usum Apostolus ab illegitimo abusu determinat.

PARS I.

*Dehortatio à securitate.*

V. 1. Οὐ θέλω δὲ υἱᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοί.

“ Melius in Manuscripto: Οὐ θέλω γὰρ υἱᾶς ἀγνοεῖν quomodo & Latinus legit & Ambrosius, aliiqve. Benè cohæret id  
 “ cum superioribus. Dixerat in præcedentibus, seipsum corpus  
 “ suum malè tractare, ne sperato præmio excidat. Monet Corinthios  
 “ idem ut faciant, ac ne sibi blandiantur, ut multi tunc faciebant,  
 “ & nunc faciunt, quod multa dona à Deo accepissent. Per ea enim  
 “ eos non constituti extra periculum, sed eo magis obligari, ut sibi caveant.  
 “ Quod ipsum ostendit adumbratum rebus antiqui pupuli Hebraici, in quibus figuram fuisse temporum Messiaë  
 “ sapientissimi Hebræorum consentiebant. Ἀγνοεῖν hic valet esse  
 “ immemorem. Nam legerant isti Corinthii libros Veteris Testamenti;  
 “ sed non omnia memoria retinebant, non omnium sensum reconditiorem  
 “ intelligebant. Sic ἀγνοεῖν sumitur Rom. VI. 3. VII. 1.

Rectè cohærentiæ ratio quæritur in admonitione præcedente de corpore (sed peccati) obtundendo, & sub servitutem redigendo, ne præmio sperato excidamus, quia, inde ad hanc παρρησίαν de fugiendâ securitate descendit Apostolus. Alii hunc cum *Pareo* nexum tradunt, quod quidem ante de usu idolothytorum, tanquam *de re, in se libera*, & propter scandalum tantum vitanda differuisset, jam tanquam rem omninò indignam Christianis  
 rejiciat



AD I. COR. CAP. X.

rejiciat & prohibeat, sub interminatione iræ divinæ, quam ad exemplum Israëlitarum experturi sint. Sed quia *propositio* vel *conclusio* exhortationis Paulinæ v. n. *generalis* est: *Qui stat videat, ne cadat*, nec tantum *idololatriam*, sed etiam *concupiscentiam pravam*, *stupra*, *tentationem Christi* & *murmur adversus Ministros Dei* prohibet Apostolus, sub iræ divinæ comminatione, ac intervenerat monitum *generale* de *carne compescendâ*, prior *συνεχίας* ratio præferenda. Digressio ergo quædam est in *parte primâ* occasione agonis, de quo sub finem capituli præcedentis egerat Apostolus, unde porrò in *secundâ* & *tertiâ* parte ad materiam de idolothytis redit, eandemq; capite IIX. inchoatam absolvit.

Ὅτι πατέρες ἡμῶν.

Hebræorum, quorum erat Paulus.

Non respiciuntur *Patres Spirituales* vel *Majores fideles* quia etsi *Abraham Pater credentium* dicatur *fidei* respectu, *simpliciter* tamen & sine addito *Patres* non facile, credo, reperientur dicti majores, qui ejusdem fidei fuerint respectu liberorum fidelium. Dicuntur quidem *Patres*, qui nos spiritualiter genuere, uti Paulus Corinthiorum Pater dicitur *1. Cor. IV, 15*. Sed hæc significatio hîc aliena est, non enim ab iis qui sub nube fuerunt, spiritualiter geniti sunt Corinthii. Neq; citrà causam à propria vocis *πατέρες ἡμῶν* significatione discedendum est. Quamquam verò Corinthiorum seu gentilium *Patres* non fuerint Ebræi: *Pauli* tamen, & *aliorum Ebræorum Patres* erant *secundum carnem*: Se ergò cum aliis per *communicationis figuram* intelligit Apostolus, uti versu 8. talis *κοινωνία* habetur. Et erant non pauci ex Ebræis conversi inter Corinthios. *Patres* ergò *nostri*, id est *Judeorum* è quibus ego, & *multi ex vobis*. B. Hunnius *Patres* dici putat quoad seriem successionis in Ecclesia; sed simplicior est sensus proprius, quod *Patres* designentur, non ratione *sanctitatis*, sed *procreationis* & *ætatis*. *Fideles* certè majores intelligi nequeunt. Nec enim soli *fideles* sub nube fuerunt, nec omnes illi qui mare transierunt, *fideles* fuere, sed *multi eorum Domino* haud placuerunt.

ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ θαλάσσης διήλθον

A 2

III

”

”

An hic per Patres fideles intelligantur.

”

”

ANNOTATA

“ Illi nube protecti fuere contra calorem solis Ezech. VIII, 21.  
 “ Nos Christus ita defendit ab ira divina, ut viam nobis ad salutem  
 “ monstret. Illi per mare transire, Exod. XIV. Nos mundum  
 “ coepimus contemnere. Sed restat transeundum ingens de-  
 “ fertum.

“ V. 2. Καὶ πάντες οἱς τὸ Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ  
 “ τῇ θαλάσσῃ.

“ Baptizati sunt, id est quasi baptizati sunt, usurpat istam vo-  
 “ cem, ut eo magis ostendat umbram rerum nostrarum. Res enim  
 “ baptismi est in illis duobus quæ jam diximus, liberatione ab irâ  
 “ divinâ, & liberatione à mundo. Deinde in eò quod conspici-  
 “ tur, est aliquid simile. Nubes impendebat illorum capiti: Sic  
 “ & aqua iis, qui baptizantur. In Moyse baptizari est Moyse  
 “ credere, & per eam fiduciam iter incipere sub nube, deinde &  
 “ per mare, ipso Moyse præunte. Sicut Christus nobis præivit  
 “ Vide Exod. XIV, 31. & quæ à nobis dicta ad Matth. XXVII, 29.  
 “ Tertullianus libro de baptismo: *Primo quidem cum populus de*  
 “ *Ægypto expeditus vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit,*  
 “ *ipsum Regem cum totis copiis aqua exstinxit. Quæ figura mani-*  
 “ *festior in baptismi sacramento? Liberantur de seculo nationes per*  
 “ *aquam scilicet & Diabolum dominatorem pristinum in aqua de-*  
 “ *pressum derelinquunt.*

“ V. 3. Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ βρώμα πνευματικὸν ἔφαγον.

“ Manna vocat βρώμα πνευματικὸν quia Deus in eo operaba-  
 “ tur gustus varios, ut dicimus ad Exod. XVI. Sic νόμον πνευματικὸν  
 “ Rom. VII, 14. id est à Deo datus. Nam DEUS per excellentiam  
 “ spiritus Joh. IV, 24. Cum dicit τὸ αὐτὸ non vult dicere idem no-  
 “ biscum, sed idem qui tunc servati sunt, ut Josue & Caleb, & qui  
 “ periere. Hæc paritas non impedit eventus discrimen. Verum in  
 “ Manuscripto non est τὸ αὐτὸ, neq; hic neq; in sequente membro.  
 “ Sed τὸ πνευματικὸν ἔφαγον βρώμα, & τὸ πνευματικὸν ἔπινον πόμα.  
 “ Manna de cælo datum figurat Christum, nobis cælitus missum  
 “ ad animi alimentum cum variis virtutibus Μάννα θεῖον λόγο. bis  
 “ interpretatur Philo libro Pejorem insidiari meliori & libro,  
 “ quis sit rerum diversarum hæres.

Do

AD I. COR. CAP. X.

De corpore & sanguine Christi exponit Dn. D. Sebastian. Schmid disput: peculiari de h. l. habita, & in Coll. bibl. poster. p. 335. quod ederint per fidem corpus, & biberint sanguinem Christi scilicet in typo manna & aqua è petra: Etsi non habuerint corpus Christi presens aut sanguinem, ut nos in sacra cœna, sed tantum typicè, cum sacramenta nostra sint antitypica. Sed persistimus merito in communi Theologorum nostrorum & veterum interpretatione, quæ cibis spiritualis, & potus spiritualis hic non de corpore & sanguine Christi; sed de Mannâ & aquâ è petrâ intelligitur: & πνευματικόν tum ob originem divinam, tum ob spirituales significationem dicitur. Neq; enim necessum est, eandem vocis significationem occurrere, cum de cibo & potu, & cum de petrâ eadem adhibetur. Quo argumento, sed minus firmo, nititur illa sententia. Et num omnes patres, omnes Israëlites, qui omnes per mare transierunt, & sub nube fuerunt, fide comoderunt corpus & sanguinem Christi! Id utiq; dici non potest. Ideoq; non convenit explicatio de corpore & sanguine Christi. Patres verò Ebræorum, quibus erat Paulus, solos fideles dici non magis huic loco congruit, quàm orationi Stephani Act. VII. 2. 11. 39. 44. 45. & Act. XIII. 32. c. XXII. 25.

V. 4. Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον

Expone ut priora. Tam qui sospites fuere, quam qui perierunt, eodem usi sunt potu divinitus dato.

Recte hæc de patribus inter se comparatis, non verò nobiscum. Cibum enim eundem omnes illi tū fideles tū infideles manducarunt, Manna nempe cœleste, non verò nobiscum eundem cibum omnes habuere. Etsi enim fideles etiam Christum verum Manna fide participarint, quemadmodum nos in N. T. Act. XV. 10. infideles tamen qui sub voce πάντες quinque repetitâ, comprehenduntur simul, esca illa spirituali corporis Christi minimè fructi sunt, quæ non nisi per fidem percipitur. Errant autem Reformati, nec in scopo Pauli consistunt, cum communionem Patrum circa sua sacra extendunt non solum ad communionem Patrum specie eandem cum communionem nostrorum sacrorum (ut apud Calvinum, Beza, Marloratum, Pareum videre est) sed etiam ad identitatem sacrorum Israëlitarum cum sacris nostris: nec aliâ

ANNOTATA

ratione præstò esse corpus & sanguinem Christi Sacrà Evcharistià fruētibus, quam adfuerit Pascha in V. T. celebrantibus, vel agnum Paschalem comedentibus, asserunt, ut veram, realem ac substantialem præsentiam corporis, & sanguinis Christi è S. cœnà tollant, nobisq; eripiant. Cæterùm quinq; hic recensentur beneficia, in quibus Dei favor ergà Israëlitas se exeruit, quæq; simul rerum futurarum symbola, & figuras exhibuere. Quæ omnes in universum Israëlita, nullo eò tempore excluso, experti sunt. Primum quod omnes Patres sub nube fuerint, quæ illos duxit interdiu; adversus æstum defendit, noctu facis instar, quia ignea tum erat, illis præluxit *Exod. XIII.* Quæ symbolum fuit gratiæ Christi perpetuæ de qua *Es. IV. 4. 5.* Secundò quod omnes per mare rubrum transierint *Ex. XIV.* Quod adumbrabat nostram per mare rubrum sanguinis Christi; in baptismo traductionem, & Pharaonis infernalis in baptismi undâ deletionem veterisq; hominis cum omnibus concupiscentiis submersionem. Tertiò quod omnes in Moysen baptizati sint in nube & in mari *Ex. XIV.* Quod nonnulli causaliter de baptismo per manum Moysi, ut Syrus etiam vertit, id est per ministerium ejus, in transitu per mare rubrum facto, vel Moysè præcunte, ut Junius exposuit, id per ellipsin verbi explicans *ἐν τῷ Μοϋσῆν* ad Moysen scil: venientes, accurrentes, cumq; sequentes *Parall: II. 36.* alii autè commodius interpretantur finaliter, quod Grotio etiam placuit de baptismo illo facto ad fidem Moysi conciliandam, ut crederent Moysi, & consequenter Deo per Moysen loquenti, & operanti, adeoq; in Deum fiduciam collocarent, quod Moyses imprimis inculcabat *Exod. XIV. 31. B. Hülsemannus* urget inductionem quod βαπτισθῆναι seu propriè seu etiam impropriè sumatur; si construatur cum præpositione ἐν, semper notet baptismum acceptum in professionem seu ratihabitionem ejus doctrinæ, quam professus est is, in quem quis dicitur baptizari *Matt. XXIIX. 19. Act. II. 39. cap. XIX. 3. Rom. VI. 3. 1. Cor. I. 13. 15.* sic infra *cap. XV. 29.* in fidem, quam professi sunt defuncti in Christo, baptizati. *Gal. III. 27.* Miratur Heinsii temeritatem castigantis suos complices, quasi ignorarint vim hujus phraseos & baptizari in Moysen idem sit, quod ne Moysè quidem excepto: Cujus expositionis

## AD I. COR. CAP. X.

nis nullum idoneum exemplum ille profert. Verbo autem *baptismi* ad nostrum baptismum alluditur quidem, non tamen exacte, ut Calviniani volunt, sit rituum sacramentalium V. & N. T. collatio: Quomodo nec *Βαπτισμὸς* ille sub nube & in mari rubro sacramentum fuit, sed tantum signum aliquod vel *typus baptismi nostri*. Ut *nubes caelestis originis* erat; *Mare* verò erat interris: Ita in baptismo nostro duo etiam sunt, *Res caelestis* SS. Trinitas; & *terrestres*, aqua, qua abluimur in nomine sacrosanctae Trinitatis. Israelitis mare divisum, & *nubes* erant *visibile* divinae praesentiae gratiosa & auxilii *testimonium*: Ita baptismus noster est efficax *gratiae divinae praesentis symbolum*, & *regenerationis ac renovationis nostrae lavacrum*. Tit. III, 5. *Israelita* illo typico baptismo ad fidem in Deum per Moysen obligabantur; Ita nos per baptismum, *Nov. Testam.* Sacramentum adstringimur ad fidem in Deum per Christum Mediatorem. *Quartum* beneficium Patrum est, quod *omnes eandem escam spiritualem comederint*, *Manna* scilicet coelitus deplutum, quod *πνευμαλὸς βρωμα* dicitur, non ob *vim intrinsecam* gustus varios exhibendi. Nec *uti lex spiritualis* dicitur ob *spiritualem perfectionem*, & obedientiam, quam postulat non externam modo, sed imprimis *spiritus* & animae nostrae: Neque ob *spiritualem cibationem*, quia cibus erat materialis tantum & corporalis; sed ob *originem divinam* & *rationem typicam*, quia adumbrabat *corpus Christi*, vel *Christum* potius, *ceu panem istum vitae*, *qui de caelo descendit*, interprete ipsemet Christo *Joh. VI, 33*. *Arena* ergò sine calce est argumentum Calvinianum, quod non edamus in S. coenâ ipsum substantiale corpus Christi, quia *eandem nobiscum escam comederunt in Veteri Testamento Patres*, qui substantiale Christi corpus praesens nondum habuere. Nam illud *NOBISCUM* temerè inferitur textui à *Calvino l. IV. Instit. cap. 14. §. 23.* quum nimis clarum sit, non conferri *Patres nobiscum*, sed *inter se*, quod *omnes* quidem *comederint escam spiritualem*, non autem *omnes Deo placuerint*, vel *fideles fuerint*, sed paucissimi. Si hinc illud *nobiscum* addendum etiam in prioribus illud ingerendum, *patres NOBISCUM* sub nube fuisse, *NOBISCUM* per mare rubrum transisse, *NOBISCUM* in Moysen baptizatos esse, quae absurda

furda

ANOTATA

furda sunt. Et Apostoli scopus non est, *Israëlitas conferre Christianis*, ut pares: Sed *hos illis anteferre*, ut in prerogativis, ita & in pœnis: Conf. *Ebr. II, 3.* Unde Oecolampadius ipse, citante B. Chemnitio de fundam: cœnæ cap. 12. Non est, inquit, facienda collatio cum nobis, sicut quidam exponunt, quod eandem, quam nos escam comederint; sed inter ipsos fit comparatio, ut esca, quam Moyses manducavit nec Core, nec Abiram, nec mulieribus sit denegata. Quintum beneficium est, quod omnes eundem potum spiritualem biberint; Aquam scilicet è petra fluentem, quæ itidem spiritualis potus dicitur, tum ob productionem<sup>1</sup> divinam quia non è virtute petrae causali in actum deducta, sed miraculosâ Dei virtute in petra producta) & ita è petraeducta fuit: tum ob spiritualem significationem, quæ aquam, quam Christus præbet scaturientem in vitam æternam *Job. IV, 14.* adumbrabat, uti etiam in utroq; illo symbolo cibo nempe, & potu Israëlitis miraculosè præbito figuratum fuit corporis & sanguinis Christi ad edendum & bibendum sacramentaliter ab ipso Christo nobis institutô mysterium.

“ Ἐπιγον γδ ἐκ πνευματικῆς ἀκολυθείσης πέτρας.

“ Rupes illa spiritualis dicitur, quia Deus ei aquam indiderat:

“ Τότε πρώτον ὕδατ⊙ ἀφ᾽ αὐτῆς ὑπανόμοις εἰς αὐτὴν ἀτρός συρ-

“ ρέντ⊙ ut Philo exponit de vita Moysis. Dicitur autem Israëlitas

“ sequuta rupes, effectu scilicet, aqua ipsos sequente, quæ è rupe

“ manabat. Tertullianus dicto libro de baptismo: *Hæc est aqua,*

“ *quæ de comite petra populo defluebat:* Philo dicto libro, Pejorem

“ insidiari meliori petram explicat τὴν σερῶν καὶ ἀδιακωπτον σο-

“ φίας *Jeḡ.* Deus *γιν* inveteri Testamento, Christus in Novo.

“ Ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός.

“ Id est Christum præfigurabat. Non illi hoc intelligebant,

“ sed nos intelligimus, quibus omnia ista præstruebantur. Rupes

“ percussa aquam dedit, Christus ad mortem percussus Spiritum

“ sanctum suis obtinuit. Vide infra XII. 13. Per ipsam aquam ru-

“ pes Hæbræos comitabatur. Et Christus per spiritum nobiscum

“ est ad finem seculi *Matt. XXVII. 20.* Ut septem boves & speciæ

“ sunt septem anni *Genes. XLI. 26.* id est septem annos præfigurant.

“ Vide & *Apocal. XVII. 15.*

Jam

## AD I. COR. CAP. X.

Jam non de *materiale rupe* sermo est, sed de *Christo*, qui *spiritualis petra* est, & ita dicitur non in Novo tantum Testamento, sed etiam in Veteri *Pf. CXIIIX, 22. Zach. III, 9.* ut hic non incommoda sit *Philonis* interpretatio. Quod docet tum vocis *πετρα* propria significatio, à quâ citra causam discendum non est; tum *petra* descriptio, quæ ἀκολούθησεν sequuta dicitur *Israëlitas*, quod de *petrâ materiali* dicere absurdum est. Ad Metonymiam autem recurrere, legibus bonæ interpretationis contrarium & valdè inconveniens, quum de rupe, ex quâ bibebant, dicatur, quod sequuta, vel comitata ipsos fuerit: *Non autem bibebant ex aquâ spirituali, sed ex rupe spirituali*, Interprete ipso *Grotio*; tum *diserta Apostoli interpretatio*, qui ne ambigere-mus, quamnam petram intelligat, addit expressè: *Petra autem illa erat Christus*, ubi nequicquam cum *Calvinianis* tropum in verbo *substantivo* ἦν ERAT fingit *Grotius*; quod planè incapax esse tropi in *Stereom. verbor. Testam. Jesu Christi* contra *D. Johannem Bergium* luculenter evicimus. Neq; verò est, quod tropicè hæc intelligamus, quum reverâ *petra*, è quâ potabantur *Israëlita*, quæq; illos ubiq; comitabatur, fuerit *Christus*, quem in deserto tentasse dicuntur v. g. *Biberunt enim non tam ex materiali petra*, quia illa minimè apta nata erat fundere aquam, quam è *petrâ spirituali*, tanquam è fonte largiter scaturiente, ex cujus plenitudine accipimus omnes *Job. I, 16.* cujus *petræ figuram*, si *rupes* illa *materialis* fuisse dicatur, non refragabimur. Nam ideò è *petrâ materiali* eliciebatur aqua, non verò ex aliâ re, quod designatus per *petram* *materialem* *Christus* fuerit *petra nostra* pro nobis *percutienda & scindenda* *Zach. III, 9.* quemadmodum per *aquam sanguis Christi*, qui è percusso ejus latere lagiter effusus est, ad umbratus est, quo *spiritualiter*, & *Sacramentaliter* potamur ad vitam æternam. *B. Glassius* observat in *Gramm. S. p. 504.* præpositionem *ἐν* non *materiam*, sed *causam efficientem* denotare, uti aliàs nonnunquam. Vid. *Job. VI, 65. Matth. I, 20. Rom. XI, 36.* Neq; dubium est, rectiùs vocem ἀκολούθησεν convenire *Christo*, qui comitatus est ubiq; *Israëlitas*. *Syrus* exposuit; quæ veniebat seu ibat cum ipsis quàm *petræ materiali*, quàm ea voce notari, ob-

Quod hic de  
Christo Pe-  
trâ Sermo  
sit.

B

sequen.

ANNOTATA

sequentem fuisse, dicto Domini vocis usui haud congruit. Eandem verò, quod Thomas vult, ubiq; ipsos sequutam esse; ab historia alienum est. Quod agnoscit Musculus in huac locum, cum dicit: *Biberunt de spiritali petrâ; avocant mentes legentium à petrâ corporali ad Christum petram spiritualem.* Unde & subdit: *Petra autem erat Christus.* Potest & corporea petra spiritalis vocari, propterea, quod figura fuerit spiritalis petræ. Verum quoniam addit quæ sequebatur, intelligendum esse puto de ipso Christo. Is enim consequebatur populum in deserto, & aquas illi miraculosâ scaturigine subministrabat. Goclenius: *Christus, inquit, est verè petra nostra non per essentiam, sed per excellentiam non* *ἐξ οὗτος hoc est similitudine, soliditate & certitudine est supra omnem petram corporiam.* Petra utiq; corporalis Israëlitas sequuta non est, nec aqua ipsa è petrâ fluens, ut Beza, & Pareus volunt. Nam evanisse aquam & defecisse *Exod. XVII. 6.* docemur, ut & *Num. XX. 21.* Non autem defecisset, si aqua petrosa ubiq; sequuta eosdem fuisset. Ut taceam, quod unius illius petræ rivus per tot annos Israëlitas, per varios anfractus oberrantes sequi non poterit naturaliter. Si autem per miraculum tale quid evenit, qui factum, quod id à Moysse, Historicorum diligentissimo, commemoratum non sit. Petra ergò spiritalis, quæ ipsos committata ubivis est, Christus erat. Quo de B. Danhawerus in *Mysterioroph: Sect. I. Art. VIII. §. 51.* Quænam petra illa An? lapidea? At illa concomitans non fuit, sed perpetuò fixa & immobilis mansit. Fingunt quidem Hebræi aquas è petrâ promanentes, castra, quocumq; proficiscerentur, subsequutas fuisse per canales sive ductus, quos Principes paculis suis, in terra post se tractis, fecerint, atq; hinc petram id est aquamrâ petâ promanentem, dici concomitantem. Confirmant suam opinionem ex *Num. XXI, 17.* *Psal. LXXVIII. 20.* & *Psal. CV. 41.* Quomodo verò hanc nobis fabulam probabunt? Fuit certè, cum defecit aqua sitientes *Num. XX. 21.* postquam jam ante petra percussa esset *Exod. XVII. 4.* nec credibile est, Israëlitas sinuosos anfractus pererrantes, non linea recta euntes, habuisse sibi aquas, per eosdem anfractus comites. *Num. XXI. 17.* *דו כליבאד* non necessario exponitur vocativè per descende putee! Sed super puteo liber

Num. XXI.  
17.



AD I. COR. CAP. X.

über den Brunnen/ in Psalmis citatis aquarum effluxus traditur, nihil de anfractuosis ambagibus. Relinquitur itaq; per petram comitantem intelligi Christum: Ut τὸ ἀκολυθῆν in sensu congregativo, non consecutivo enuncietur, ut optimè è Franc. Junij parallel. exponit Dn. D. Glassius l. 3. Philol. tr. 6. p. m. 551. Neq; obstare verbum ἀκολυθῆν agnovit etiam Junius l. II, parall. 36. Est enim verbum ἀκολυθῆν non solum sequi præeuntem, (ut vulgò solet accipi) verum etiam generaliter significat simul iter facere cum altero sive præeas, sive sequaris, sive te comitem ad latus euntis adjunxeris. Factum enim est ex particula α qua apud Græcos non infrequenter significationem habet Ἔ οὐκ ἔστιν ἔτι ἄλλο ἔτι ἄλλο via iter. Unde primaria hac ἔ generalis significatio profecta est. Syrus emphaticè reddidit: Petra autem illa ipse erat Christus. Non ergò de significatione tantum accipi debet. Verè erat Christus petra spiritualis: Non verò tantum significabat petra spiritualis Christum.

Nullum profectò exemplum proferri potest, quod EST significativè vel figurativè in propositione tertii adjecti, vel cum copulandum est, accipiatur, & quod significat exponi debeat. In illo Gen. XL. 26. non habetur verbum EST, ideoq; non potest σιμαντικῶς explicari. Simpliciter dicitur: *Vaccæ septem septem anni.* Quod non est, id modificari nequit. Cur non subaudire liceat, *septem vacca intelliguntur*, si quid subaudiendum? Qvalis ellipsis etiam est in loco Apoc. XVII, 15. *Aquæ multæ populi multi* (intelligendæ) *sunt* ut ita opus non sit, ut verbum εἰ σὶ contra naturam suam quum copula sit vexetur.

Nullum exemplum de τῶ EST significat. Gen. XL. 26.

Si dicas, non omnes, qui aquâ è petrâ fruebantur, in Christum credidisse, eumq; pro petrâ salutis habuisse: Distingvendum inter *bitionem ipsam, & bibendi intentionem.* Etsi enim infideles ipsam *intentionem* typicè bibendi ex aquâ petræ non habuerint: Tamen quia *reverâ biberunt è petrâ*, quæ typus Christi erat, omnes *bibisse potum spiritualem* rectè dici possunt, & uti B. Hülsemanus habet, *participarunt omnes omninò Israélite de petrâ spirituali Christo, quantum ad communionem gratiæ prævenientis, quæ nequicquam exinde negatur, quod pleriq; non crediderint* Ebr. IV, 2.



ANNOTATA

in plerisque DEUS beneplacitum non habuerit, hic v. 5. Nam quod convivæ omnes ad nuptias vocantur, quod omnibus eadem edulia spiritualia proponuntur Matth. XXII, 4. hoc utique beneficium est gratiæ Christi, cujus quidem communio nequaquam denegari potest non indutis veste nuptiali, v. 11. Mylius aliam adhuc vocis ἀνο- λυθῆσαι adfert significationem. Se tamen, inquit, translato sensu hoc ad petram referre cui piæ libuerit, ut ἀνολυθῆσαι vocetur, quæ dicto Domini fuit obsequens, & ad fundendas aquas obedientem sese præbuit: e quidem non morosè refragabimur, duntaxat illibata constet sententia Paulina, Israëlitas omnes, in quali quali differentia positos, promiscuè tamen eandem Spiritualem ex mysteriis nostris, analogica saltem & typica ratione, haut absimilem escam manducasse, eundem Spiritualem potum, & de eadem spirituali petra bibisse, hoc est, summorum mysteriorum, adeoque summi ipsius boni, Christi videlicet, typis luculentissimis non caruisse, ita, ut dummodo vera fides ac pietas accessisset, nihil ipsis vel ad dignitatem, vel felicitatem summam de futurum fuerit, adeoque mysteriorum dignitate nobis fuerint vicinissimi. Præstat autem superior explicatio. Apostolum enim non loqui fatetur ipse B. Mylius f. 221. de simplici aut naturali petra (de qua utique dici non poterat, quod esset aut fuerit Christus: sed eundem duntaxat notavit) sed de spiri- tuali petra.

V. 5. Ἀλλ' ὅτι ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ θεὸς  
 Εὐδόκησεν πᾶσι Multo maximam eorum partem DEUS gra-  
 tam non habuit. Idem veniet multis Christianis, qui magnis  
 datis benè non utuntur.

Κατέσραψαν ὃ ἐν τῇ ἐρήμῳ.  
 Vocem ipsam usurpavit, quæ est in Græco Num. XIV, 16.  
 Κατέσραψεν αὐτὸς ἐν τῇ ἐρήμῳ Vide ibidem 29. 32. XXVI, 64. 65.  
 Psal. LXXXVII, 33. Hoc illorum exitium æterni exitii imago  
 est.

V. 6. Ταῦτα ἢ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν.  
 Typus est rudis rei delineatio, de qua fit imago perfectior.  
 Inde ἐν τῷ ὄρει apud Aristotelem, rudi docendi modo. Opponi-  
 tur ἐν τῷ ἀκριβῆς, τὸ λεπτομερῆς, vide Rom. V, 14. Utitur voce  
 τύπων

AD I. COR. CAP. X.

τύπων in hoc sensu & Justinus colloquio cum Tryphone. 29  
 Εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμηταὶ κακῶν, καθὼς κακῆνοι 29  
 ἐπεθύμησαν. 29

Ἐπιθυμηταὶ κακῶν sunt qui necessariis non contenti plura 29  
 ardentem desiderant ut illi Israelitæ Num. XI, 4. Psal. LXXVII. 29  
 29. Ἐπιθυμηταὶ **ΒΙΒΛΙΟΝ**. Hoc rursus tangit Corinthios 29  
 epulatores. 29

Sic etiam habet B. Balduinus: Respicit ad historiam Num.  
 XI. & Exodi XVI, ubi legitur, quomodo Israelitæ Mannæ, panis  
 illius cœlestis pertæsi caperint clamare; *Quis dabit nobis ad ve-*  
*scendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegy-*  
*pto &c.* Ubi non quidem appetitus in se malus est, neq; res, quam  
 appetebant, mala: Fit autem concupiscentia malarum rerum  
*per Accidens*, propter ingratitudinem & nauseam divini benefi-  
 cii, quod Deus ipsis per ministracionem panis Angelorum præ-  
 stiterat. Appositè hoc exemplum applicat Apostolus ad Corin-  
 thios, qui *convivia idololatrica* appetebant, & hoc in genere pro-  
 debant ingenium suum, quod magis gulæ & ventri, lautis cibo-  
 rum, quam Deo & religioni studiis exercitiisq; pietatis inservire  
 vellent.

V. 7. Μὴδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε καθὼς πίνετε αὐτῶν 29

Hic tangit eos, qui idolothytis vescerentur, quod aut idoli 29  
 cultus erat, aut gradus ad cultum idoli. 29

Ἐπεὶ γέγραπται, ἐκάθισεν ὁ λαὸς τῷ Φαγῆναι καὶ πίνειν, καὶ αἰσθησάν 29  
 παύσειν. 29

Ipsa verba LXX. Exodi XXXII. ubi παύσειν esse diximus sal- 29  
 tare, pro quo & virgilius dixit ludere; εὐφραίνεσθε Act. VII, 41. 29  
 Sedit podulus, nempe sicut vos accumbitis. Ad saltandum, ut & 29  
 vos facitis. 29

Quam idololatricè expressè nominentur ab Apostolo, *aētus*  
*idololatricus Exod XXXII.* quo colebant vitulum aureum respici-  
 tur, Etsi verba tantum illa de *convivio ex idolothytis apparato*, ob  
 analogam inter Corinthios prævaricationem è textu Mosaico ad-  
 ducta sint. Rectè hæc exequitur Calvinus in Comm. ad hunc lo-  
 cum. *Locus hic à paucis ritè exponitur; intelligunt enim, intem-*

Exod. XXXII  
 6.

ANNOTATA

perantiam populo causam lasciviendi fuisse: Sicuti vulgari proverbio dicimus: Alvo benè referta succedere choreas. At Moyses de sacro convivio loquitur, hoc est, quod in idoli cultum celebrabant. Epulum ergò & lusus dua erant idololatriæ appendices. Fuit enim tam populo Dei, quam superstitiosis usitatum, adjungere immolationi epulum, tanquam partem divini cultus: Cui inter esse nullis profanis aut immundis liceret. Sacros etiam ludos gentes idolis suis instituebant, quarum ritu procul dubio Israëlita vitulum suum coluerunt. Hæc enim est humani ingenii protervia, quicquid sibi arridet, Deo affingere. Itaq; huc prolapsi sunt dementia gentiles, ut fœdisimis spectaculis, ut impudicis saltationibus, ut verborum spurcitiis, & omne genus obscœnitatibus, Deos suos oblectari crederent, eorum proinde imitatione populus Israëliticus, peracto solenni epulo surrexit ad ludos celebrandos, ne quid deesset ad idoli cultum. Hic genuinus & simplex est sensus. Sed quaritur hîc cur epuli potius & ludorum meminerit Apostolus, quam adorationis. Hæc enim idolatriæ caput erat: Priora autem illa tantum accessiones. Nempe eligit, quod maximè Corinthiis congruebat neq; enim veri simile est, conventus impiorum frequentasse, ut coram idolis se postererent; sed communicabant eorum convivii, in Demonum honorem institutis, nec fugiebant impias cœrimonias, quæ idololatriæ symbola erant: Non ergò absq; causa testatur Apostolus, id, in quo peccabant, à Deo nominatim damnari &c: Similia habet Junius in parallelis c. XXXVII. de industriâ operam dedit Paulus, ut ea verba ex tota historia exciperet, quæ cum argumento & quæstione ea, quæ hic agitur, maximè convenirent. Agitur autem de idolothytis, quorum usus fuit maximè, ut non solum convivatione publicâ consumerentur, sed etiam hilarum, ludis, choreis, & saltationibus conjungerentur: Prout in illo tempore Israëlita fecerant. Quæ magis congruunt, quam glossa ordinaria; Ludere, id est adorare, quod ludo puerorum simile Facilis namq; est ad lulum pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est, quorum idola adorare.

V. 8. Μὴδὲ κοινωνήσω.

Sic solet Paulus, ubi aliquid odiosum dicit uti plurali primæ personæ κὶ κοινωνῶν.

Καθ' οὐδὲν

AD I. COR. CAP. X.

καθὼς ἕνεκεν αὐτῶν ἐπόρνευσαν.

Πορνεύειν manifestè hic est cum foeminis extra nuptias rem habere. In Græco Num: XXV, 1. Ἐβαβηλώθη ὁ λαὸς ἐκπορνεύσαι εἰς τὰς θυγατέρας Μωαβ. תגזל Tangitur hic ille incestu contaminatus.

καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἑικοσιτρεῖς χιλιάδες.

In Hebræo & Græco Num. XXV, 9. ἑικοσιτέθρες χιλιάδες. Sed intellige mille occisos à Phinee & sodalibus ejus; vingenti verò & tria millia plaga divinitus immissa.

V. 9. Μηδὲ ἐπιειράζωμεν τὸν Χριστὸν καθὼς καὶ ἕνεκεν αὐτὸν ἐπειράσαν.

Omninò legendum est, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεόν, quomodo est in vetutissimo illo Manuscripto. Error commissus ex notis Θεόν & Χριστὸν. Christus nomen est hominis. Ἐκπειράζειν est תנסה Deut. VI, 16. fecere id sæpè Hebræi; sed eximie eo tempore, cujus narratio est Num. XXI. 5. & sequentibus. Tentare Deum est experimentum capere, quousq; itura sit ejus patientia. Tanguntur hic schismatum autores.

Temeraria ementatio Codicum omnium ex unico Manuscripto, merâq; conjecturâ vel suspicione, quæ nec probata fuit, per notas sc: tantum nomina expressa fuisse, nec si probetur, notarum commutationem factam esse, docere valet. Etsi verò Christi nomen non quidem tantum hominis nomen sit, humanitatem tamen simul includat, quia τὸ συναμφοτέρον νοεῖται, dicente Damasceno: Eadem tamen persona est, quæ tentata ab Israelitis fuit; sive Filii Dei, aut sapientiæ, aut Verbi, aut Angeli, in quo est nomen Domini, nomine veniat, sive Christus vocetur, aut Jesus Christus, teste Apostolo Ebr. XIII, 8. heri, hodie, idem & in secula. Agnitus & creditus fuit Christus, antequam homo factus, & unctus est, quia per cognitionem suam justificavit etiam veteris Testamenti fideles Es. LIII, 11. cap. XLI, 23. 24. 25. Jer. XXIII, 6. Quamquam verò Pronomen αὐτὸν non repetatur, quod urgent Sociniani, (nisi quod Faber Stapul. Cajetanus & Erasmus testentur sibi visa exemplaria, quæ habeant καθὼς καὶ ἕνεκεν αὐτὸν ἐπειράσαν) Ordinaria tamen constructionis Grammaticæ ratio docet, subjectum tentatum

ANNOTATA

tatum *ἀπό κομῆ* repetendum esse, cum *Pronomen αὐτὸν* propter concursum Genit: pluralis *αὐτῶν* omissum sit. Et tentatum esse ab Israelitis eum, qui per Moysen eos duxit, notissimum est è scripturis. *Christum autem populum duxisse* ex cap. III. & IV. Ex. & cap. XIII, 19. cap. XXIII, 20. nec non *Es. LXIV. v. 9.* constat. *Tentatio* autem non est tantum *patientia* & *bonitatis*; sed etiam *potentia* & *veritatis divinae* probatio *Num. XI, 23. c. XIV, 22.*

“ *Καὶ ὑπὸ τῶν ἰφθιμῶν ἀπώλοντο.*

“ Ab illis ignitis serpentibus; sic & qui Deum irritant, præda  
“ fiunt Diaboli.

“ V. 10. *Μηδὲ γογγύετε.*

“ *γογγύζειν* est obloqui superioribus, ut videre est *Num. XIV.*  
“ 1. Tanguntur hîc illi, qui de Apostolo hoc minus docenter loque-  
“ bantur.

“ *Καὶ ἀπώλοντο ὑπὸ ὀλοθρευτῆ.*

“ In libro *Num. XIV, 33.* dicuntur percussi & mactati coram  
“ Deo. Sed Dei mos est, iudicia sua per Angelos exequi, ut vide-  
“ re est *2. Sam. XXIV, 16. 1. Reg. XIX, 35. Ecclesiastæ V, 5.* Sic & be-  
“ neficia quædam per Angelos dispensat *Joh. V, 4.* Angelus ὀλο-  
“ θρευτῆς, aut ὁ ὀλοθρευτῶν *Hebr. XI, 28. & Sap. XVIII, 22. 25.* Est  
“ qui in *Tobiæ* libro *יְרוּשָׁן אַ רַמָּשׁ* est ὀλοθρευτῆς: *הַיְהוָה*  
“ *Ezech. XII, 23. Jer. II, 30.*

“ V. 11. *ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις.*

“ Manuscriptus pro *τύποι* habet *τυπικῶς.* Errant quæ ipsis  
“ evenere præfigurationes, rudia lineamenta. Ibi res temporariæ,  
“ hic æternæ. Dicunt Hebræi *יְהוָה לְיָמֵינוּ כִּיבָנָה* Patres docu-  
“ mentum filiis.

“ *Ἐγγράφη δὲ πρὸς νεφισία ἡμῶν εἰς ἕξ τ' τέλη τῶν αἰώνων*  
“ *κατὴν τησεν.*

“ Nam in omnibus actionibus prisca seculi *DEus* semper ob  
“ oculos habebat tempora *Messiae* in quibus non vaticinia tantum,  
“ sed & figuræ omnes implerentur. Vide quæ ad hanc rem attuli-  
“ mus ex *Justino Tertulliano* & aliis ad *Matth. I, 22.* τὰ τέλη τῶν  
“ αἰώνων est idem quod *πλήρωμα τῶ χρόνων* *Sal. IV, 4.* πλήρωμα τῶν  
“ *καιρῶν* *Eph. I, 10.* Id est tempus illud, post quod nulla nova lex  
“ aut major *Prophetia* erat expectanda. *νεφισία ἡγῆθη.*

Alii

AD I. COR. CAP. X.

Alii communiter de *propinquitate finis seculorum* vel universi accipiunt. Aliud itaq; videtur esse *πλήρωμα τῆς χάριτος & τῶν κληρῶν*: Aliud verò τὰ τέλη τῶν αἰώνων. Permittimus tamen hic quomodo; abundare sensu suo. Non in concinna ob verba *præcedentia* apparet *Grotiana* explicatio: Et exponunt alii quoque; ita, quod τὰ τέλη τῶν αἰώνων dicantur de *tempore, quod sequitur adventum Christi in carnem*, quia Christus omnia complevit, per Prophetas olim prædicta, neque; quicquam expectandum restat, nisi reditus ipsius ad iudicium juxta Petrum dicentem *1. Ep. IV, 7. verum omnium finem imminere*, ac *Johannem 1. Ep. cap. II, 18. esse horam novissimam*, & *Jacobum cap. V, 8. adventum Domini appropinquare*: Vide etiam *Act. II, 17. Ebr. I, n. cap. IX, 26. cap. X, 25. 37.*

V. 12. Ὅστε ὁ δοκῶν ἐστῆναι.

Præfens pro futuro, id est, qui se semper staturum putat.

Βλέπετω μὴ πέσῃ.

Videat, ne cadat, id est, caveat sibi, timendo quicquid evenire potest, Rom. XI, 20.

Pleriq; accipiunt ceu *generalem adhortationem*, qua sensum *immediatum* seu *παρασκευαστικῶς* deductam è præcedentibus; seu per *συμπέρασμα* propositionem exhibentem, cum à securitate carnali dehortari voluerit Apostolus exemplo *Israëlitarum*, ne gratiâ Dei excidamus. Siquidem etiam qui per fidem stant, sollicitè debeant cavere, ne cadant, & *cum timore ac tremore salutem operari Phil. II, 12. Prov. XXII, 1. Job. IX, 28.* Quæ possibilitas casus, & cautio non pugnat cum *certitudine promissionum* divinarum, aut *πληροφροῦν* fidei nostræ: Quia promissiones non *absolute* sunt; sed *hypothesein mediolorum* includunt, sedulæ meditationis verbi divini, devotæ orationis, & perpetuæ vigilantia: Nec *πληροφροῦν* excludit *timorem filialem*, sed dubitationem de *gratiâ Dei*, & *timorem servilem*. Quod tum contra *Pontificiorum* desperatum incertitudinis gratiæ dogma, tum contra *absoluta Calvinianorum decretorum*, absolutam certitudinem & *ἀναπεσεῖαν* fidelium, observandum. *Specialius* tamen accipit *B. Hülsemannus*,

An hæc adhortatio generalis sit?

C

qua-

ANNOTATA

Tentatio hu-  
mana.

quasi hæc protervis & audacibus illis idolorum comestoribus dicta  
sint; qui sibi videtur firmiter consistere, videat, ne cadat. Qui  
etiam ea, quæ sequuntur, de tentatione humanâ ita explicat.  
Quamquam hæc gnome ad graviores etiam tentationes à Deo vel Dia-  
bolo immixtas extendi possit: Propriè tamen & adequatè loquitur  
de tentatione nascente ex usu idolothytorum, & usurpatione simili-  
um adiophororum, quæ licita quidem sunt, sed periculosa quandoque.  
Sed acquiescimus communi explicationi, quam ita tradidit B.  
Hunnius: Infert ex præmissis, dandam esse operam Corinthiis, ut  
non sint securi, quasi debellatum jam sit, ut quasi minus periculi,  
minus etiam certaminum restet sub regno exhibiti Messiae. Quo  
enim major obtigerit gratia sub Evangelio, eo certiores & a-  
trociores imminere pœnas profanis contemptoribus, & quo pro-  
pius ad æternitatum terminos devenerint, eo meminerint horri-  
bilis sævire Satanam, & insidias struere sempiternæ hominum  
saluti.

V. 13. Πειρασμοὶ ὑμῶν ἐν εἰληφῶν εἰ μὴ ἀνθρώπινος  
Quia putare poterant se jam virium suarum habuisse experi-  
mentum, quod incommoda quædam ob Evangelium pertulerant,  
ostendit levia illa esse præ iis malis, quæ posthac ipsis supervenire  
possent. Πειρασμοὶ ἀνθρώπων est vulgaris tentatio, frequens  
inter homines. Sic ἐξ ὄψεως ἀνθρώπων & ἀφ' ἡμῶν ἀνθρώπων  
sunt castigationes communes frequentes 2. Sam. VII, 14. Sic  
γραφὴ ἀνθρώπων stylus qui in usu est. Es. VIII, 1. Sic ἀνθρώ-  
πινον λέγω loquor vulgi more Rom. VI, 19. Sic Levit. VI, 3, ὡν  
ἐαυτὸ ποιῆσθαι ἀνθρώπων, id est, eorum quæ frequenter fiunt.  
Nondum ad sanguinem restitistis ait scriptor ad Hebræos XII,  
4. ἐν εἰληφῶν deprehendit.

Tentatio humana rectè explicatur vulgaris ac levior, ut ab  
homine facilius superari possit. Quales erant, quas ob Evange-  
lium forte sustinuerant. Nonnulli humanam dici volunt in op-  
positione ad divinam & Diabolicam; quod humana ex imbecilli-  
tate carnis oriatur; Divina per immisionem crucis fiat; Diabo-  
lica per seductionem ad delictum. Sed hic tentatio non intelli-  
gitur, quæ ad malum culpe est, quum potius probatoria sit, & à  
Deo



## AD I. COR. CAP. X.

Deo immittatur. Ideoq; non potest explicari de tentatione ad *alia crimina*, quæ facile superari queant, vel declinari. Non ergo rectè *Cornelius à Lapide* exponit: *Esto, ô Corinthii, tentemini & solitemini ad schismata, ad litigia, ad luxum & Venerem, ad idola & idolothyta; constantes tamen estote: Quia hæ tentationes, quæ vos apprehendunt & occupant, communes sunt & humane, quas facile, si velitis, vincetis.* Hæc enim tentatio à Deo non est, sed à Diabolo: Ideo corrigit *Cornelius*, (sed temerè) textum *Græcum*, etsi cum *Syriaco & Chrysostomi* lectione convenire agnoscat, & loco *ἐπιληφθε* substituit *ἐπιληφθητε* in Imperativo: quasi dicat; *cum tentatio talis aliqua in animum irrepit, nolite eam fovere, & apprehendere ita ut sensim increseat, fiatq; insuperabilis.* Sed committimus hic *Cornelium* cum *Estio*, qui sic habet: *In libris Complutensibus, ac Regiis, aliisque nonnullis tam vetustis, quam recentioribus, atq; in Missali Romanò legitur apprehendit, cum tertiâ vocali. Quæ lectio sincerior est.* Nam *Græci* codices legunt *ἐπιληφθε* cepit verbo præteriti temporis. Consentunt & *Græci tractatores*, & *versio Syriaca*. Sed & apud *Cyprianum lib. 3. testim. c. 91.* pro verbo *apprehendit* legitur *occupavit*. Legunt quidem exhortandi sive optandi modo: *Apprehendat* *Ambrosiaster & Primasius* in Commentariis: Item *Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 9.* & autor quæstionum veteris & Novi Testamenti *quæst. 99.* Verùm reprehendit & corrigit eam lectionem *Sedulius*, ita scribens: *Quod Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro Indicativo Optativum modum.* Alioq; *Pelagium* quoq; Indicativum legisse, satis arguit ejus expositio. Hæc *Estius* de lectione. Quantum verò ad sensum verborum, *Cornelio* facile consentit *Estius*. Quamquam enim probabilem agnoscat illam de persecutionibus & incommodis ob fidem exantlandis, quæ *Cajetani* est, præfert tamen illorum sententiam, qui putant Paulum loqui de tentatione quæ à carne est v. c. de gula tentante ad comedenda idolothyta. *B. Hieronymus Wellerus*, laudante *B. Glasio*, in Exeg. Epist. supra Dom. IX. Trin. p. 65. *humanas tentationes propriè dicit eas esse, quæ ab infirmitate humanâ oriuntur, ut pote tentationes contra secundam tabulam,*

## ANNOTATA

*quales sunt accendi odio, invidia, ira, cupiditate vindictæ &c: Spirituales verò quæ supra & extra intellectum humana mentis positæ sunt, videlicet illos internos pavores ac terrores, ut est tentatio de abjectione & ab negatione Christi & Evangelii; item de affectatione divinitatis & similes. Perpauci enim sunt, qui has tentationes intelligunt; pauciores, qui degustarunt; paucissimi, qui verè illas senserunt. Non enim cadunt in vulgus hominum, sed tantum in eos, qui singularibus donis præditi sunt, ac tenerrimas habent conscientias. Hæc B. Wellerus. Quæ distinctio utut fundamento suo non destituatur. An tamen huic loco conveniat, dubito. Videtur quidem eandem hic applicare B. Glasius l. c. p. 58. Tentatio vos non cepit nisi humana quasi dicat, tam languidi, depidi, imbecilles & spiritualium incuriosi estis, ut vix humanam, facileq; superabilem tentationem ac sollicitationem ad peccata possitis sufferre ac vincere, superandi omninò & casuri, quantum in vobis est, si plus quàm humana, hoc est Diabolica vobis tentatio immitteretur. Addit tamen postea p. 65. Potest etiam dici, vocem humana & ἄνθρωπος alludere tentationibus Diabolicis, quibus Deus consilio sancto quosdam gratiæ suæ filios exercere sinit, quas ignita spicula maligni Paulus appellat Eph. VI, 16. quasq; ipse expertus plus satis fuerat 2. Cor. XII, 17. Et observat idem argumentum tractari Ebr. XII, 3. seqq. ubi verò de tentationibus crucis à Deo immissis, non verò de tentatione carnis agitur. Nondum usq; ad sanguinem restitistis. Ejusmodi tentationes videtur respicere Paulus hoc etiam in loco, quæ à Deo immissæ quidem, sed humana, id est, non supra fidelium vires, portatuq; faciles sint, quales nempe fuerunt penes Israëlitas, defectus ciborum desideratorum, carnis, & piscium, cujus causa impatientes fiebant Num. XI, 4. & idolothytis cum Madianitis vescebantur Num. XXV. 1. unde in fornicationem incidebant: Carentia panis & aquæ, aliorumq; ciborum præter Manna, & deductio per vias longinquas, & difficiles. Num. XXI, 5. ob quas adversus DEum rebelles erant: Terrores exploratorum terræ Canaan de gigantibus filiis Enakim, ob quos murmurabant adversus Moysen & Aaron Num. XIV, 1. seqq. Absentia diuturnior Moysis à populò,*

ob

AD I. COR. CAP. X.

ob quam vitulum aureum sibi erigebant Ex. XXXVII. Quum ergo non nisi tales humanae tentationes obvenerint Corinthiis, & longè graviores ipsis contingere possint, monet Apostolus, ut, qui stant, accuratè sibi caveant, ne forte cadant, tentationibus iisdem ingruentibus. Solatur autem simul fideles divinâ bonitate, assistentiâ, & ereptionis promptitudine.

V. 14. Πιστός ὁ Θεός, ὅς ἐν ἐλάσσει ὑμᾶς περιεσθῆναι, ὑπὲρ  
 ὃ δύνασθε. Ἀλλὰ ποιήσῃ σὺν τῷ περισσῶν καὶ τὴν ἔκβασιν  
 ἢ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπερκεῖν.

Dixerat majora mala posse evenire, ut eò magis cautos redderet. Nunc ne nimium consternarentur, solatium addit significans Deum, modo ipsi negligentes non sint, daturum vires pares tentationi. Ἐκβάσις quod alibi διέξοδος ΠΑΥΛ. Sic exitus mortis Ps. LXVIII; 21. est evasio. Incidit in tentationem qui succumbit, ut diximus Matt. VI. 13. Exit qui tentationem vincit. Ἐκβάσις evadendi facultatem ut positus tolerare interpretatur Cyprianus Testimoniorum III, 9. ubi & hanc ponit sententiam: *Tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere.* Non dicit ut omninò perferatis, sed *ut possitis perferre:* Ut possitis tolerare, quomodo dicto loco Tertullianus. Arma Deus dabit, per quæ valebitis vincere, si non sitis *ψυχάρωδες.* Ideò autem dicit *πιστός ὁ Θεός,* quia Deus in tali statu opem suam promisit Matt. VII, II. Luc. XI, 13. Vide supra I, 9. 2. Cor. I, 18. 1. Thes. V, 24. 2. Thes. III, 3. Quadriariam Deum assistentiam suam exhibere B. Balduinus docet 1. *explorando vires nostras,* antequam adversi quid immittat. 2. *Non imponendo plus, quam quilibet ferendo.* Atq; sic crucem & tentationem facit superabilem: Quo sensu S. Paulus alibi scribit: *Fidelis DEUS, qui stabiliet vos & custodiet à malo* 2. Thes. III. Id circo tempus idoneum expectat, nec infirmioribus in fide gravissima imponit onera, sed levioribus exercet, donec majores in n̄de ac patientiâ progressus fecerint. 3. *Largiendo exoptatam & inopinatam sæpe liberationem à malo,* quam Paulus vocat ἔκβασιν *evasionem sive exitum,* qui ex improvise fit, sæpe nil tale cogitantibus. 4. *Subministrando vires, ut sufferre valeamus,* si maximè ejusmodi evasio in periculis non appareat. Perperam autem



ANNOTATA

autem restringitur hæc promissio *ad solos electos*. Nam omnibus in genere promittuntur in Ecclesiâ Corinthiaca, in qua erant multi non electi: Et imprimis *fidelibus*, quibus gratia & assistentia Dei non deest, nisi seipso eâ indignos reddant, vi promissionum *1. Thes. V. 2. Thess. III. Providentia Dei*, ait Leo, Epist. XXVII. *semper suis necessarium præstat auxilium*.

“ Διὸ ἀδελφοί μὲ ἀγαπητοὶ, Φευγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας.  
 “ Fugite, id est, quàm longissimè abeste. Bene hoc coheret cum paulò ante dictis: Si vosmet assuefaciatis epulis in idolo, facilè ubi gravior persecutio incubuerit ad plenissimam idolatriam devolvemini.

“ *Per numeros veniunt ista, gradusq; suos*

“ Et:

“ *Nemo repente fit turpissimus*

Redit jam è diverticulo in viam, & materiam de idololatriâ, quam *cap. VIII.* ceperat, persequitur. Quam fugiendam omnibus modis, etiam *participatione mensæ ex idolothytis* in honorem idoli cui sacrificia oblata in templo idololatræ paratæ, abstinendum esse docet. Siquidem per *communione mensæ idolothytorum in communionem idololatriæ*, si scientes prudentes illi participent, veniant, & consequenter in communionem dæmoniorum. Notat ergò, ut rectè B. Hunnius, imprimis eam, quæ tum inter illos invaluerat, collusionem impiam, quod aliqui & sacris utebantur Christianorum, & nihilominus in facellis idolorum atq; epulis sub inani prætextu libertatis Evangelicæ non obscure se participes reddebant cultus simulachrorum, contaminantes conscientiam propriam, & in regulam charitatis proximi propter datum offendiculum non leviter impingentes. Quod confirmat tum ab *exemplo communionis Eucharisticæ*, tum ab *exemplo sacrorum Leviticorum*.

“ V. 15. ὡς φρονίμοις λέγω.

“ Attentionem Corinthiorum excitat, cum ipsis ingenium tribuit. Φρόνιμος hic qui Homero Φρονήτης.

“ Κρίνατε ὑμεῖς ὁ Φημι.

Quasi

AD I. COR. CAP. X.

Quasi dicat : Adeo æqua adferam , ut non alios quàm vos-  
met ipsos sumam iudices.

Τὸ πτερίον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογεῖται.

Pro eodem poni *εὐλογεῖν* & *ἑχαρισεῖν* : Item *ἑλογίας* &  
*ἑχαρισίας* diximus ad Matth. XXVI, 25. Intelligitur autem hic  
non *ἑλογία* aut *ἑχαρισία* communis ; sed illa huic negotio pro-  
pria, per quam orant fideles , ut panis ille, & vinum illud fiant,  
sicut mox appellabuntur XI, 27. 29. corpus & sanguis Christi , ali-  
mentum novæ creationis.

Οὐχὶ κοινωνία τῶ ἀίματος τῶ χριστοῦ.

*Μετωτυμῆα* qualis supra I, 18. Rom. I, 16. *κοινωνία* vocat id,  
per quod fit ipsa communio. Sic & Irenæus v. 2, contra eos di-  
sputans, qui mundum negabant à Deo conditum. *Sic autem se-  
cundum hæc videlicet , nec Dominus sanguine suo redemit nos , neq;  
calix Eucharistia communicatio sanguinis ejus est.* Quod mox  
interpretatur : *Quando ergo ἑ mixtus calix ἑ fractus panis per-  
cepit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis ἑ corporis Christi.* Est  
loquutio non dissimilis apud Valerium Maximum VI, 2. Ubi  
Scipio Jovis epulo cum Gracho concordiam communicasse di-  
citur.

Τὸν ἄρτον ὃν κλιῶμεν.

Pro ὃ ἄρτος ὃν κλιῶμεν. Sic.

*Hos quos videtis stare hic captivos duos pro hi, quos.* Et  
*urbem quam statuo vestra est pro urbs.* Simile loquendi genus  
Matth. XXI, 14. Fractio & fractionem in cruce peractum signifi-  
cat & ipsam communionem.

Argumentum ab *exemplo communionis Eucharistica* hoc est :  
Ut quicumq; mensam Domini accedunt, participes ex institutio-  
ne Domini fiunt , mediante pane & vino benedicto corporis &  
sanguinis Christi , & ita in communionem Christi veniunt, sic  
qui mensam idolis sacram accedunt , participes ex institutione  
Dæmonum fiunt , mediante usu idolothytorum maledictorum,  
communionis idololatriæ, adeoq; in communionem Dæmonio-  
rum veniunt. Applicat ergo ea , quæ de *idololatriâ patrum in  
deserto* dixerat : Sic illi qui sacris typicis, & quæ umbra tantum  
& figura

ANNOTATA

& figura fuere, fruebantur, ob communionem cum idololatriis & idololatriam interempti sunt: Quomodo iudicium Dei possent ef- fugere, qui sacrâ Cœnâ, in quâ non figura, sed cõmunicatio corpo- ris & sanguinis Christi est, fruuntur, & nihilo secius in cultus ido- lorum communionem veniunt. Nequicquam *Calviniani* & *Pon- tificii* contendunt, (quod hic observat *B. Hülsemannus*) oportere eundem esse modum communionis seu connexionis inter symbola Eu- charistica, & corpus Christi, inter comedentes & corpus Christi, qua- lis communionis modus est inter idolothyta & dæmonem, cui sacrantur idolothyta, inter comedentem idolothyta & dæmonem ipsum, quæ unio tantum moralis & denominati- va. Item, qualis fuerit modus libandi idolothyta sive sacrifi- cialis, talem etiam esse modum libandi Eucharistica symbola, sive sacrificialem, vel missaticum. Vid. *Bellarmin. l. de Missa cap. 14.* Qua hypothese stante innumera absurda sequerentur, & quoad sacrificium missaticum quidem, quemadmodum sacrificatis ido- lothytis, dæmon tamen ipse non fuit sacrificatus; Ita si maximè sacrificarentur symbola Eucharistica, ipsum tamen Christi cor- pus, seu ipse Christus, qui in comparationis terminis respondet dæmoni v. 21. non sacrificaretur. Rursus quomodo per libatio- nem idolothytorum idolothyta non transsubstantiantur in dæ- monem: Ita in consecratione symbolorum Eucharisticorum symbola hæc non transsubstantiari in Christum. Id quod tamen *Bellarmin. l. 12. de Euchar. c. 2.* ex vi hujus illationis conatur elicere. Relinquitur ergò ex communiōne seu comparatione communiō- num harum inter se, de quibus Paulus à v. 16. ad 22. agit, nihil amplius oportere colligi, quàm ad propositum Pauli de non abu- tendo licitis rebus & ad adiaphoris, & abusu pericula demon- stranda erat necessarium, videlicet, quemadmodum vescentes idolothytis certo modo uniuntur, & cum idolothytis & cum dæ- monibus, quibus sacrata sunt idolothyta: Et quemadmodum ido- lothythæ certo modo uniuntur cum dæmonibus quibus sacrata sunt: Ita vescentes pane & vino Eucharistico certo modo uniun- tur & cum his ipsis symbolis, & cum illo termino, cum quo sym- bola unita sunt, sive corpore & sanguine Christi. *Modus autem unio-*

unio-

AD I. COR. CAP. X.

unionis neutriubi *æqualis* est, nec *idem specie*; neq; hoc requiritur ad scopum Pauli demonstrandum, sive ad periculum & noxam ex idolothytorum esu contrahendum, ut univoca seu eadem & æqualis ratio unionis sit inter idolothyta & Dæmonem; inter panem & corpus Christi, quod etiam *Estius* hic monuit. Vide etiam *Vasquez. T. II. in tert. part. Thomæ Diss. 147. n. 20. seq. T. III. Diss. 168. n. 15. seq. Diss. 2; 4. n. 1. & seq.*

Porro non simpliciter idem sunt *Ἐλογία, & εὐχαριστία*, *εὐλογία, & εὐχαριστία* quæ etsi permutari *Matth. XXVI, 26. 27.* videantur, revera tamen nō permutantur, sed conjunctim accipienda esse innuntur, quod & in primâ Cœnæ parte cum *εὐλογία* conjuncta fuerit *εὐχαριστία*, & in alterâ parte cum *εὐχαριστία* *εὐλογία*. Nam & Deo gratias egit Christus utrobiq; , & benedixit non pani solùm Eucharistico, sed etiam vino, uti inde poculum *τῆς εὐλογίας* vel benedictionis nominatur, ὃ *εὐλογῆμεν*, cui & nos exemplo Christi benedicimus. Quam *εὐλογίαν* precatorem esse, ut panis ille fiat *communicatio corporis Christi*, & ut poculum illud vel vinum Eucharisticum *communicatio fiat sanguinis Christi*, rectissimè dicitur: Sed talis precatio non est propria ipsa *εὐχαριστία*, utpote quæ *gratiarum actionem* non quidem communem; sed huic sacrae actioni *propriam* infert, pro divinâ exauditione, & ejus, quod precatur Christus in benedictione reali præstatione, quemadmodum consuevit Christus *gratias agere*, cum aliquid *precibus expetiit*, certus de exauditione *Vid. Joh. XI, 41, 42.* Perperam verò Calviniani (Joh. Bergius in Pseudo Stereom: & alii) *εὐλογίαν* negant pro corporis & sanguinis Christi ad usum manducationis & bibitionis sacramentalis benedictione accipiendam esse, ac nihil aliud inferre ajunt, quàm *εὐχαριστίαν & gratiarum actionem pro passione & morte Christi*, atq; ab Apostolo per *ἀνάμνησιν* describî: Quia ne *εὐχαριστία* quidem in actu S. Cœnæ à Domino facta nuda solùm *gratiarum actio* fuit *pro redemptione generis humani* per passionem & mortem Domini destinata; sed respicit simul *precatorem ordinationis sacramenti*, quâ pro eadem, ceu medio salutis, quod placuit divinæ bonitati sancire, gratiæ actæ sunt.

D

Εὐλο.

ΑΝΟΤΑΤΑ

Εὐλογία verò hæc infert consecrationem panis atq; vini ad officium sacramentale. Unde Oecumenius ὁ εὐλογῶμεν interpretatur ὁ εὐλογῶντες κατισκευάζομεν, quod benedicentes adornamus, ut scilicet panis κοινωνία sit corporis, vinum κοινωνία sit sanguinis Christi; quam ab ἀνάμνησι distinctam esse nemo non intelligit. Ἀνάμνησις enim mortis Dominica non facit ad essentiam S. Cœnæ, & ab eâ abesse potest, licet hæc sine illa prodesse non possit. Si verò tollatur εὐλογία divina, quid habebitur præter nuda elementa, panem & vinum. Ἀνάμνησις est actus fidei nobis commentatus: εὐλογία Christi actus est, & ministrorum qui vicè Christi sunt. Quâ dere videatur Stereoma verborum Testamenti Christi Bergio oppositum p. 75. seqq.

Quid hic  
Frangere!

Jam quod ad propositiones Apostolicas: Calix benedictionis, quem benedicimus nonne est communicatio corporis Christi? Panis quem frangimus, nonne est communicatio sanguinis Christi? In subjecto manifestum est, per panem, quem frangimus, intelligi panem benedictum, sicut calix benedictionis dicitur, quem benedicimus, & quidem non quia frangitur per comminutionem vel scissionem in partes; sed quia distribuitur, quia frangere, Ebræa phrasi, est distribuere Es: LIIIX. ideoq; in usu & actu distributionis spectari panem Eucharisticum, non extra usum & actum distributionis, puta, quando reconditur in pyxide, vel jacet in patinâ, vel circumfertur cum pompâ; sed cum ad edendum distribuitur, & editur, prout è verbis institutionis manifestum est; ubi Christus ait Accipite, edite, tum demum testatur: Hoc est corpus meum. Similiter calix benedictionis, (per quem Deus nobis benedicit) cui benedicimus Pastores scil: & verbi ministri (ceu ministri & legati Christi) consecrando, Ecclesia verò simul precando, approbando, totumq; actum sacrum, quia sacramenta sunt bona Ecclesiæ, celebrando & dispensando, non quatenus in altari vel mensâ collocatur, nec quatenus materialiter spectatur, sed quatenus in officio suo sacramentali constituitur; ita ut distribuatur, & ex eodem bibatur, adeoq; vinum ipsum, quod est in calice, quatenus in S. Cœnâ post benedictionem, convivis præbetur, ac distribuitur, ab

lis-



## AD I. COR. CAP. X.

iisdem accipitur, & bibitur, uti Christus in ipsâ institutione Apostolis vinum præbuit, ac distribuit, & ita demum testatus est *Bibite; hoc est sanguis meus.*

Quod ergo ad prædicatum, *κοινωνία* vel *communicatio corporis Christi* effertur de pane qui frangitur, vel distribuitur, & manducatur in Eucharistiâ. Quod in distributione hac & manducatione panis Eucharisticus sit *communicatio corporis Christi*, adeoq; non distribuatur & percipiatur solùm panis, sed cum pane distribuatur & percipiatur corpus Christi. Dijudicari enim hoc, quod dicit, vult Apostolus, ab ipsis Corinthiis, qui aliunde id non poterant dijudicare, quàm ex verbis institutionis Christi. Quæ quum ejusmodi *κοινωνία* exhibeant, quæ in *δόση* & *λήψει* consistit, non aliâ ratione etiam panem *κοινωνία* corporis Christi dici, in aprico est, quàm quod mediante hoc pane corpus Christi detur, accipiatur, & edatur in S. Eucharistiâ. Unde simplicissimus iste emergit sensus, quod pane sumpto & manducato sumatur & edatur corpus Christi, unâ quidem indivisâ manducatione, quæ fit ore, quæ tamen non pariter sese habeat ad panem & corpus Christi. Nam res terrena, nempe panis, terrenò sumitur modò; cœlestis verò, nempe *corpus Christi*, congruente sibi sumitur & manducatur modò hoc est cœlesti, sive mystico, qui quadret ad modum unionis, quæ panis & corpus unita seu copulata sunt. Ea unio cum sit *Sacramentalis*, & in mysteriò fiat adeoq; *mystica* nuncupetur, utiq; & manducationis hinc dependentis modus respectu corporis Christi *planè mysticus est, Sacramentalis est, & humane rationi incomprehensibilis*; ut rectè B. Hunnius. Quod pariter habendum de distributione *calicis vel vini benedicti*. Et admitti eâ ratione potest Grotiana explicatio, quod per *κοινωνία* medium *communicationis* intelligatur. Nam eodem sensus redit, quod nempe panis Eucharisticus in usu suo sacramentali medium sit *communicationis corporis Christi*. *Metonymia* verò *sacramentaria*, quam Calviniani fingunt, quod panis sit *κοινωνία*, id est *signum corporis Christi*, evertit naturam sacramenti, quod constare oportet re terrenâ & cœlesti, non verò in nudâ relatione & significatione consistit, & per-

vertit sensum verborum Apostoli: Qui veram & realem communicationem corporis Christi, non nudam significationem tradit, & panem Eucharisticum medium esse communicationis, ac symbolum exhibitivum rei cœlestis, corporis Christi, docet, non verò nudum tantum signum hic proponit. Alienum tamen est exemplum, quod ratione *λίζω* confert Grotius, quod nempe *Scipio dicatur Jovis epulo cum Graccho concordiam communicasse*: Nec congruit, quod *fractionem & fractionem in cruce peractam significare, & ipsam communionem*, ait. Nam fractio significat hic non *comminutionem in particulas*, sed *distributionem*; nedum fractionem vel comminutionem corporis Christi, quod frangi nullatenus vel comminui debuit in cruce *Job. XIX. 33. 36.* Sed panis Eucharistici inter convivas distributionem; quo distributo tamen corpus Christi distribui ex institutione Christi certi sumus, atq; idcirco panem, quem frangimus, vel distribuimus communicationem corporis Christi dixit Apostolus. Unde oportet cum pane Eucharistico unitum esse corpus Christi, & *unum sacramentale* constituere. Alioquin enim pane distributo non perciperetur corpus Christi, nec panis Eucharisticus esset communicatio corporis Christi. Non ergo per corpus Christi *efficacia corporis Christi*, sed *ipsum substantiale corpus* intelligitur, etsi id omninò vivum sit, & efficaciam spirituali, ac saluari non destituatur, quam verò actu ipso non omnes, qui participant corpus Christi in S. cœnâ cum pane Eucharistico, utpote qui omnibus est communicatio corporis Christi, sed soli fideles salutariter percipiunt.

“ V. 17. *Ὅτι εἰς ἄρτος,*  
 “ Supple *ἄρτον*, ut hic accepit Syrus. Id autem sub intelligendum per *ἑνὸς σώματος* ex eo quod sequitur *ἑσμεν*. Sicut hoc quod dispersum fuit, postquam est congregatum, factus est unus panis ait Clemens Constitutio num VII, 26.

“ *Ἐν σώματι οἱ πολλοὶ ἑσμεν.*  
 “ Unum sumus corpus, id est membra Christi, qui est caput.  
 “ Rom. XII, 4. 5. supra VI, 15. infra XI, 12, 14, 19. 19. 20. 22. 25. 26. 27. Eph.  
 “ I, 22. IV, 15. 25. V, 30. Coloss. I, 18.

AD I. COR. CAP. X.

Οἱ γὰρ πάντες ἐκ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.

Omnes, nempe qui eidem mensæ sacræ pariter accumbimus, & unam facimus *Φραγείαν*, quæ *Φραγεία* totius Ecclesiæ gerit imaginem. Magni erant panes apud Syros & Græcos, ita ut facile deni aut plures eodem pane vescerentur. Diogenus Laërtius in vitâ Pythagoræ: ἐφ' ἑνα ἄρτον οἱ πάλαι τῶν Φίλων ἐφείπων, καὶ Ζῆτες καὶ νῦν οἱ Βάρβαροι.

V. 18. Βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ καὶ σκενα.

Nos enim καὶ πνεῦμα Israëlita sumus Rom. IX, 6. Gal. VI, 16.

Οὐχὶ οἱ ἐσθίωντες τὰς ἑσθίας.

οὐ γὰρ τὰς σωτηρίας ἑσθίας, unde qui eas obtulerant vescebantur.

Κοινωνοὶ τῆς ἑσθιασῆς εἰσι.

Per id ostendunt, se eum Deum colere, cujus est altare, in quod profecta victimæ data sunt.

Non hic *corpus unum* sensu proprio de *corpore Christi proprio & substantiali* quod nonnullis visum (quomodo Estius, voluit significare in signo hujus unitatis, non aliud esse panem, aliud corpus Christi; sed unum & idem, quia panis ipse est corpus Christi) intelligi potest: Sed ut rectè Grotius & pleriq; interpp: communiter, *corpus Christum mysticum*, quia fideles, cum de uno pane Eucharistico participant, qui quoad specificam unitatem officii sacramentalis penes omnes idem est, & ex multis, ut ita dicam, farinae atomis coagmentatur in unum, unitatem etiam suam habeat mysticè quia *ad unum corpus* omnes coagmentantur: Cujus proinde unitatis symbolum est in participatione ejusdem panis Eucharistici. Quia ut glossator ex Augustini sententiâ tract. XXVI. super Johan: habet: *Sicut unus panis ex multis granis conficitur, & unum corpus ex multis membris componitur: Sic Ecclesia ex multis fidelibus, charitate copulante connectitur.* Ineptè verò, non, ut Estius judicat, sublimiter, & subtiliter Thomas in his verbis duplicem observat unitatem: Primam *incorporationis, qua in Christum transformamur*: Cum dicit: *Unus panis*: Alteram *vite, & sensus, quam à Christo accipimus, cum addit: Unum corpus.*

Quid hæc corpus unum!

ANNOTATA

Nam verbo, *panis unus*, non *Christi corpus* notatur; sed *panis Eucharisticus*, qui unus omnibus præbetur, scilicet: qui communicatio corporis Christi est. Nihil hic de incorporationis unitate. Nam non omnes, qui panem illum unum participant, & si omnibus illis sit communicatio corporis Christi, incorporantur, vel inferuntur Christo, quod est proprium fidelium: Rursus *unum corpus multi esse* dicimur, ob participationem istam panis Eucharistici, quod mysticè uniti simus inter nos omnes mutuò. Ubi nulla expressa mentio est influxus vitæ, & sensus à Christo capite, sed mutuæ tantum unionis Christianorum inter sese. Quæ unitas hoc loco propriè *Ecclesiastica* est, atque inter omnes illos, qui participant panem Eucharisticum, locum habet, & si fideles non sint omnes. Ideò addit: *Omnes de uno pane participamus*. Non ergò est, quod Estius aliiq; Papistæ *unum panem de corpore Christi* exponant. *Vinum panem*, inquit ille, *juxta sensum & expositionem omnium orthodoxorum, intelligit ipsum corpus Domini*. Nec verò aliter absq; manifesta falsitate exponi potest. Nam de pane materiali falsissimum esse constat, omnes fideles de uno pane participare. Quæ verò hoc constat? Annon omnes de unò illò pane, qui est communicatio corporis Christi, participant? Quem unum esse ob *specificam unitatem officii sacramentalis*, etsi multivariis sit numero, quantitate, ac qualitate materiae panis manifestum est. Non constat autem sibi Papistarum sententia. Nam si per panem ipsum corpus Domini intelligendum, quomodo dicit Apostolus, *panis quem frangimus*, (hoc est, corpus Christi) *nonnè est communicatio corporis Christi!* Quomodo corpus Christi panem vocare potest, quum illa distinctissima sint, *panis & corpus Christi?* Respondet Estius: *Corpus Domini vocari panem, tum quia ex pane factum, quâ ratione homo pulvis seu terra vocatur Gen, III. tum potissimè, quia speciem panis, totamq; ejus operationem retinet*. At Apostolus non ait: *Panis est corpus Christi*. Sed, *est communicatio corporis Christi*. Quod autem est communicatio corporis Christi, id non potest esse ipsummet corpus Christi, vel transsubstantiari in corpus Christi; quia sic per illud non posset communicari corpus Christi. Aliud enim est, per illud  
corpus

## AD I. COR. CAP. X.

corpus Christi communicatur; aliud, id est corpus ipsum Christi, quod communicatur. Nec tantum *speciem nudam panis* dicit Apostolus *novitiam* esse corporis Christi, sed *panem ipsum*; non de specie nudâ, sed de pane ipso dicitur, *unus panis*: Non de nudâ specie, sed de pane ipso ait: *Omnes de uno pane participamus*. Nihil ergo commercii habet Apostolus cum commento *transubstantiationis*, sed ubiq; ei adversus est. Manifestum est ex *scopo Pauli*, de *unione professionis ejusdem fidei & religionis* inter eos, qui eadem sacra colunt, agi, quod patet ex v. 18. immediate sequente, ubi ab Israëlitis de *iisdem victimis, ejusdem altaris comedentibus* infert: Quemadmodum illi censentur profiteri illam fidem, quam sacerdotes solent profiteri actione suâ circa illud altare: Ita comedentes de victimis immolatis dæmoni testari hâc comestione, se profiteri illam idololatriam, quam profitebantur sacerdotes idololatrici actione suâ circa illud altare. Hinc patet communionem, de quâ loquitur Paulus v. 16. propriè & formaliter notare illam communionem, quæ est *inter comedentes & Christum*; quomodo participatio de qua v. 20, 21. propriè & formaliter notat communionem, quæ est *inter comestorem idolothytorum, & dæmonem*, cui sacrata sunt idololytha. Rectè tamen ex communiõne hâc, quæ est inter comestorem Eucharistiæ, & Christum, inter comestorem idolothytorum & dæmonem infertur: *Dari propiorem adhuc communionem & unionem inter panem & vinum Eucharisticum, qui eduntur & bibuntur in Eucharistiâ, & Christum: Propriorem unionem inter idolothyto & dæmonem*. Ratio est, quia mediante idolothyto comestor unitur cum dæmone. Ergo propter quod comestor dicitur talis seu consors dæmoniorum v. 20. Illud magis est tale: Et propter quod conviva Eucharisticus dicitur unionem habere cum Christo, illud magis est tale, seu majorem unionem habet cum Christo. Quomodo revera symbola sacramentalia *sacramentaliter* uniuntur cum corpore & sanguine Christi, ut unâ denominatione dici possint corpus & sanguis Christi; conviva tamen Eucharisticus non unitur sacramentaliter, sed *spiritualiter* cum Christo. Nec licet

*Scopus & vis  
Argumenti  
Apostoli.*

ANNOTATA

licet unâ denominatione convivæ & Christo communi dicere: *Hic conviva est corpus Christi*, quomodo rectè dicitur: *Hic panis est corpus Christi*. Ex quibus apparet, quæquam comparationis tertium inter comedentem idolothyta & dæmonem, inter idolothytum & dæmonem commune sit, & applicandum ad unionem, quæ est inter comedentem panem & vinum, & corpus & sanguinem Christi: Ad unionem item, quæ est inter panem & corpus Christi; modos tamen unionis utrinque non esse pares. Hoc quidem habent commune, quod uterque modus unionis, & *idolothytorum cum dæmone*, & *symbolorum sacramentalium cum corpore Christi* ex instituto est: Ille quidem ex instituto humano, & opinione vulgi, ad quam Paulus expressè provocat v. 19. 20. 28. 29. verbis *propter conscientiam alterius* hic autem unionis modus ex instituto divino. Ille modus merè imaginarius est, & *modalis*, quo ad unionem victimarum seu idolothytorum cum dæmone v. 20. *Hic* super congruentiam *moralem* superaddit etiam *supernaturalem unionis modum*, & in unione convivarum Eucharisticorum, cum Christo longè propior, atque alio specie est unio ab illa modo unionis, quo dæmon & idolothyta conguntur. Ergò *hi modi unionis non sunt coæquandi invicem, sed ἐν πλάτει tantum comparandi, quoad utrinque detur aliquis uniendi modus*, ut hic B. Hülsemannus.

Potest hoc etiam ut novum argumentum accipi cum B. Hunnio p. 333. Aliud argumentum affert dehortationis à cultu sacrorum idololatricorum & vitæ profanitate, Hoc sensu: Indignum prorsus est, eos, qui eorundem sacrorum consortio in unum cœtum & corpus quasi devinciuntur, admiscere sese simulacrorum cultoribus. At qui unius ejusdemque panis Eucharistici, ejusdem poculi, ejusdem corporis, & sanguinis fiunt participes, hi junguntur in unum idemque congregationis externæ corpus. Ergò abstineant à contrariâ congregatione Ecclesiæ malignantium, & idola sectentium. Minorem probat inde, quia de uno eodemque pane participant, idcirco hac communi participatione venire in societatem ejusdem corporis. Itaque ut prius à substantiâ cœna  
pro

AD I. COR. CAP. X.

probationis argumentum deduxit, ita nunc à fine & effectu. Inter alios namq; fines & effecta Coenæ Dominicæ est & hoc, quod quemadmodum ex multis granis tritici vel siliginis panis unus pinfitur; Ita nos simul omnes, quicumq; utimur Eucharistia sacramento, coalescimus in unum panem, unumq; corpus mysticum. Ubi tamen panem alio sensu, quàm in præcedentibus accipi, & per unum panem unum mysticum panem intelligi minimè arbitramur, sed panem propriè intelligimus; nec nos in unum panem, sed in unum corpus mysticum coalescere dici censemus.

V. 19. Τί ἔν Φημι ὅτι εἰδωλὸν τί ἐστὶ.

Quia facilè visuri erant Corinthii, quo tenderet ista comparatio, nempe ut qui immolatitia Græcanica ederent, censerentur eos Deos colere, quorum aris data erant profecta, ideò hoc non exprimit, sed occurrit ei quod sciebat dicturos philosophos, idolum nihil esse ut supra VIII, 4.

*Concedit ergò hoc illis non esse ultra Jovem, Neptunum, Cererem: periisse eos pridem*

V. 20. Ἀλλ' ὅτι ἂν ἦτε τὰ ἔθνη δαμονίοις ἦτε.

Id est dæmones mali per ista nomina, quæ nihil sunt, homines à verò Deo abducunt. Probat ex Deut. XXXII, 17. Ubi in Græco ἔθυσαν δαμονίοις καὶ ἂ θεῶ, ubi pro δαμονίοις in Hebræo est יִשְׁרָאֵל id est dæmonibus τραγοῦόφοις. Tertullianus de spectaculis: Scimus nihil esse nisi nomina mortuorum, sicut nec ipsa simulacra eorum, sed non ignoramus, qui sub istis nominibus & institutis simulacris operentur & gaudeant, & divinitatem mentiantur nequam spiritus, scilicet dæmones.

Οὐ θέλω ἡμεῖς κοινωνῆς τῶν δαμονίων γίνεσθαι.

Ne in speciem quidem velim vos sociari pessimis illis Spiritibus decet salutis humanæ inimicis: Κοινωνῆς γένεσθαι τοῦ πλείου, id est initiari vertunt Græci Num. XXIV, 9. Psalm. CVI. 28.

Obiectio inde nata est, quod ipse Apostolus supra scripserit, idolum nihil esse, annè simulacris vel potestatis ad benefaciendum,

E

vel

*Causa objectionis & dubii apud Apostolū h. l.*

ANNOTATA

vel valoris quid ad polluendas conscientias inesse, aut carnes simulacris & idolis oblatas per se pollutas esse, ut nullâ ratione iis vesci liceat, censendum sit? siquidem supra solùm iisdem in *sacrario & epulo solenni ob cultus idololatricos instituto* vesci prohibuerit, non autem in *conviviis vulgaribus*, modò scandalizatio absit, jam verò videatur *cuncto esui idolothytorum*, ceu participationi idololatriæ, interdicere? Respondet autem sanctus Apostolus: Tametsi idola revera nihil sint in mundo; quia tamen ut Dii coluntur ab hominibus, & ita dæmoniis revera servitur, cum illis servitur, & teste Psalte, *Dii gentium; quicumq; sint, demonia sunt Psal. XCVI, 5*; eò quod sub idolis latitarint dæmonia, & ab iis profectus hic cultus sit, ideò quæ immolantur idolis, revera immolari dæmoniis. Non tamen *per se*, ac *simpliciter* prohibitum esse idolothytorum esum, dum modò non in facellis idololatricis & conviviis in honorem idolorum institutis fiat, & infirmorum habeatur ratio, è sequentibus patebit.

“ V. 21. Οὐ δύνασθε ποτήριον κυρίῳ πίνειν, καὶ ποτήριον  
“ δαιμονίων

“ Οὐ δύνασθε non convenit, non decet. Supra III, 10. Matth.

“ IX, 15. ποτήριον δαιμονίων vocat vinum Diis libatum, quod He-

“ bræis הַיַּיִן הַזֶּה עֲבוּדָה לַאֱלֹהִים Vide quæ de eâ re attulimus ad Matth,

“ XXVI, 27.

“ Καὶ τραπέζης δαιμονίων.

“ Nam & in idoliis mensæ ponebantur populo, tribubus, so-  
“ dalitatibus. Ἰτραὶ τραπέζην habes in Scholiaste Pluti

“ V. 22. Ἡ ὠργισθησὶς τῶν κύριον.

“ Id est ad iram provocamus. Ira enim sæpe נָכַר תִּלְוָה

“ unde & verbum נָכַר sive נִבְרָה, quod vertitur ὠργισθη-

“ λῆν, παρεξύνειν, παρεργίζειν. Eminenter autem dici solet.

“ de iis, qui idolis honorem exhibent, ut videre est, Deut.

“ XXXII, 21.

“ Μὴ ἰχυρότεροι αὐτῶ ἐσμεν.

“ Ut nempe pœnas evadere possimus, quas iratus Deus nobis

“ velit infligere. Sensus depromptus ex Jobi X, 18. XXXVII, 23.

Hæc



AD I. COR. CAP. X.

Hæc impossibilitas est *moralis*, quam vocant, vel *juris*, non *facti*, adeoq; temerè à *Calvinianis* eò abripitur, quod impii non possint participare corpus Domini in S. Coenâ, quia hoc facti est, quod impii & qui cum Diabolo communionem habent ad sacram Eucharistiam accedant; Quos omninò frui corpore & sanguine Domini, sed *ad iudicium, & reos fieri corporis & sanguinis Domini*, testatur Apostolus.

V. 23. Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ὃ πάντα συμφέρει.

Ejus scilicet generis res de quibus & supra egit VI, 12. ubi idem dictum. In genere edere ἐδωλόθητον non est illicitum, ut si quis solus sit, nec aliud habeat, quod edat: In circumstantiis certis, ideò fit illicitum, quia alios id potest peiores reddere. Transit hic Paulus, ut sæpe à secundâ personâ ad primam. Id enim perinde est, ubi de quovis homine agitur. Sic & supra 6, 7, 8, 9, 10. Similis mutatio fit aliquoties.

Ἀλλ' ὃ πάντα κινουεῖ.

Minus dixit, plus sensit. Illa adeò homines meliores non faciunt, ut etiam ad ruinam impellant.

V. 24. Μηδείς τὸ ἑαυτοῦ ζητεῖτω.

Ne quis id unum spectet, quod ex tali re ipsi esse boni aut mali possit.

Ἀλλὰ τὸ ἕτερον ἕκαστος.

Nam inter Christianos partem nostri magnam sibi proximus vendicat. Qui proximum amat, Deum amat.

*Omnia mihi licent*, scilicet adiaphora, & libertati in regno Christi subjecta. Constat verò sententia Pauli, *concessione* simul & *correctione*. *Concessio* est, quod largitur, omnia licere in rebus suapte natura mediis & indifferentibus. *Concessioni* porò suæ *correctionem* subdit, ostendens non semper conducere vel ædificare liberum illum rerum indifferentium usum. Proinde regulam præscribit hanc: *Nemo, quod suum est, quærat; sed quisq; quod alterius est*. Nimirum moderatricem libertatis Christianæ vult esse charitatem erga proximum, cujus proprietas hæc est, quod *quærit non quod suum est, sed quod proximi*, ad cujus ædificationem et utilitatem universa refert, ut hæc nervosè exposuit B. Hunnius.

ANNOTATA

V. 25. Πάν τὸ ἐν μακῆλλῳ πωλῆμενον, ἐσθίετε.  
 “ Μάκῆλλον vox est Græca ex Latinâ ut Φλαγαλλῶν, κρεωδία &  
 “ similia. Utitur & Plutarchus exponens κρεωπώλιον & Lexica  
 “ Græco-Latina. Retinuit & eam Syrus. Rabini scribunt  
 “ מַחְלֵי. Nomen habet à loco, qui erat Romæ: Is autem ab  
 “ homine, cuius id fuerat solùm. Fieri poterat ut macellarius  
 “ ὁ ὄψοπώλης anteqvam ad macellum carnes ferret, aliquid de iis  
 “ in aram dedisset. Τὰ κατ’ ἀγορῶν ὠνια ταῖς σπόνδαῖς καταμολύ-  
 “ νοιτο. Eusebius l. VIII. Fieri etiam poterat, quod Augustinus no-  
 “ tavit, ut sacerdotes partes, quæ ipsis cedebant venderent. De eo  
 “ non vult sollicitè inquiri, licet nescire talia, & nescisse se dicere.  
 “ Tertullianus de jejuniis: *Claves macelli tibi tradidit, permittens e-*  
 “ *sui omnia ad constituendam idolothytorum exceptionem.*

“ Μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν  
 “ Ἀνακρίνειν hîc est damnare, quomodo & κρίνειν sæpe poni-  
 “ tur. Damnare autem hîc est pro impuro habere διὰ τὴν συνείδη-  
 “ σιν propter persuasionem nempe vestram. Vide supra VIII, 7.  
 “ Persuasionem autem intellige eam, de quâ sequitur, nihil esse in  
 “ cibus per se impurum. Vide quæ diximus ad Matt. XV. 11.

Simplicior est, & communior interpretatio INQUISITIO-  
 NIS & dijudicationis quàm propriè verbum ἀνακρίνειν infert Act.  
 XVII, 11. 1. Cor. II, 4. 1. Tim. IV, 3, 4, quod emere possint, quicquid  
 in macello venditur, absq̄<sup>3</sup> hesitatione, nec interrogare scrupulosè  
 opus habeant ob conscientiam, an carnes illæ prius immolatae sint  
 simulacris, vel non? Quia per se nihil immundum est, ac ne car-  
 nes quidem tales immundæ per se sint; Et Domini sit terra, & ple-  
 nitudo ejus. Sed si emendum & edendum, quicquid in macello  
 venditur, quomodo id convenit decreto Hierosolymitano Act.  
 XV, 29. c. XVI, 4, de non edendo sanguine, suffocato & idolothyto?  
 Resp. Decretum illud particulare fuit, tum ratione temporis sub  
 initium collectionis Ecclesiæ Christianæ è Judæis, quorum infir-  
 mitati consulendum erat; Quia Judæi cerimoniis Leviticis addi-  
 cti, quales hæ erant Lev. XVII, 12, non tam subito easdem depo-  
 nere potuerunt, donec libertas Christiana uberius innotesceret,  
 & ita Judaica synagoga cum honore sepeliretur: Tum ratione  
 loci;

Act. XV. 29.

AD I. COR. CAP. X.

loci; Non omnes Ecclesias, sed ut habet epistola *synodica*, eas, quæ Antiochiæ, & in Syriâ, & Ciliciâ erant.

V. 26. Τὸ κῦρος ἰγῆ, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς.

Est ex Ps. XXIII, 1. *κῦρος* sive *πλήρωμα* est omne id, quod super terram versatur, sicut *πλήρωμα θαλάσσης*, omne id quod in mari est Ps. XCVI, 11. 1. Paral. XVI, 32. *κῦρος* hic est *πιορὴ*. Nam cum Apostoli citant loca veteris Testamenti, sæpe DEum Dominum vocant, cum alioqui de suo loquentes Christo soleant dare Domini nomen.

V. 27. Εἰ δέ τις ὑμᾶς καλεῖ τῶν ἀπίστων.

Non significans scilicet, se sacrificasse. *Καλεῖν* est ad convivium vocare. Qui ad id mittebantur, servi *κλήτορες* Græcis, Latinis vocatores.

καὶ θέλετε πορεύεσθε.

Si omninò ire vultis, admonet tacitè, forte melius facturos, si non eant. Ire tamen non prohibet. Supra V, 10.

Πᾶν τὸ ᾠθηθήμενον ὑμῖν, ἐδίετι.

Id est edite de appositis, quod lubet. *Παρατίθεσθε* vox propria *me. sæ-Marci VIII, 6, 7. Luc. IV, 16. X, 18. XI, 6. Act. XVI, 34.*

Μηδὲν ἀνακρίνοντες ἀλλὰ συνείδησιν.

Idem sensus, qui supra 25.

Hic ergò versus ad convivia non idolis sacra, vel *religiosa*, sed *civilia* pertinet: Si quis ab infidelibus ad ea invitatur, quod, citra inquisitionem scrupulosam, comedendum sit, quicquid apponitur in mensâ. Ne quis religioni sibi ducat in conscientiâ de cibis, citra disquisitionem, *sintne consecrati idolis, vel non*, capere quicquid lubet. Patet autem hinc non illicitum esse, frequentare *convivia infidelium*, nedum conversationem civilem quamcunq; , quemadmodum nec ipse Christus à conviviis Pharisæorum abhorruit.

V. 28. Ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ, τὸ εἶδωλόθετον ἐστίν.

Si quis, nempe convivator, vobis dixerit: Sacrificavi Cereri, et ad hæc extra vos vocavi. In Manuscripto hic pro *εἰδωλόθετον* est *ιερόθετον*. Est ea vox in Oeconomicis, quæ Aristoteli tribuuntur. Phrynicus mavult dici *θεόθετον* quàm *ιερόθετον*.

ANNOTATA

“ Μὴ ἐπίστα δὲ ἐκεῖν μνηύσαντα, καὶ τὴν συνέδησιν  
 “ Nempe quia ille Cererem esse aliquid credit, & in ea opinio-  
 “ ne confirmatur, te de immolatiis edente. Sic συνέδησιν de pagano  
 “ habuimus supra VII, 17. Habet hic καὶ vim ἐξηγητικὴν, ut saepe.

“ V. 29. Τῆ γὰρ κურσὸς ἡ γῆ καὶ τὸ πλῆρωμα αὐτῆς  
 “ Terra & fruges Dei sunt, non Cerreri: Noli ergò alere falsas  
 “ opiniones: Ita possunt hæc verba hoc loco exponi: Sed rectius  
 “ forte omittentur, ut malè repetita Neq; enim habet ea hoc loco  
 “ Manuscriptus. Syrus quoq; Latinus, Arabs, non legerunt.

Non præcisè hæc de *Cereris sacris*; sed *quorumcumq; idolorū*  
 accipienda: Nec tantum *de convivatore*, sed etiã de *convivâ quovis*  
*alio*, qui scrupulo conscientiaë motus id de idolothytis moneat,  
 ne scilicet vel *infidelis convivator*, *idolum aliquod esse credens*, ubi  
 viderit fidelem etsi monitum, iisdem vesci, in *idololatriâ* suâ con-  
 firmetur, vel *conviva aliquis infirmus offendatur*, quasi non mul-  
 tum referat, etiamsi quis, quomodo, & ubi lubeat de cibis immo-  
 latitiis participet, & circumstantias dijudicare nesciens, in esu  
 idolothytorum peccet, ac vel ipsas etiam epulas idolis sacras fre-  
 quentet; aut etiam ne illicitas planè esse carnes immolatiis exi-  
 stimans ex esu earundem scandalum patiatur. Conscientiam  
 ergò *monitoris* intelligit, qui, si infidelis est, in errore suo confir-  
 matur: Si infirmus Christianus, non sine offensione id videbit.  
 Nec verò opus est, eliminetur illa sententia Psalmi, quæ apud in-  
 terpretes quosdam haud legitur. Siquidem constanter eam ha-  
 beant codices Græci, qui soli authentici sunt; Nec inconvenien-  
 ter, etsi alia applicatione, ea repetatur. Nimirum *si maximè ab*  
*bis, quæ idolis immolata sunt ob infirmam proximi conscientiam*  
*ex charitate abstinendum sit, non de fore tamen alios cibos in illâ*  
*Domini plenitudine, cujus est universa terra.*

Ps. XXIV. 1.

Συνέδησιν δὲ λέγω ἐχὶ τὴν ἐαυτοῦ.

“ Id est tuam, qui nosti Cererem nihil esse, & omnia ista in  
 “ Dominio est Creatoris.

“ Ἀλλὰ τὴν ἑστέρας.

“ Illius qui te vocaverat, ἔπερ, ἕργη is, quicum tibi nego-  
 “ tium est.

“ ἵνα

“

AD I. COR. CAP. X.

ἵνα τί γδ ἡ ἐλευθερία μὴ κρίνεται ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως 22

Aliud est ἔπερ ̅ aliud ἄλλ ̅. Ἐπερ ̅ is, ut dixi, quicum 22  
negotium est, ἄλλ ̅ quivis alius, quicum negotium non est. Si 22  
quis conviva morit eas res esse immolatitias; ego autem id nesci- 22  
am, ego libertate justâ utor, ille si me propterea pro idololatra 22  
habeat, iniquè me damnat. 22

V. 30. Εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω. 22

Si ego, id ignorans scilicet, per Dei beneficium, id est, Deo 22  
dante & id concedente participo cibos scilicet appositos. In Ma- 22  
nuscripto hoc εἰ ἐγὼ χάριτι μετέχω sine ἧ̅ cohæret cū superioribus. 22

Τί βλασφημῶμαι. 22

Cur calumniam patior? 22

ὑπὲρ ἧ̅ ἐγὼ ὁχαρισῶ. 22

Pro re, de quâ Deo gratias ago. Vide I. Tim. IV, 4. Est hic 22  
ἀντίθετον, qvalia multa apud Paulum. 22

Subtilior illa inter ἔπερον & ἄλλον distinctio nescio an Pauli 22  
menti conveniat. Cur enim non idem sit ἔπερον ἢ ἄλλον, quum 22  
ratio probans convenire debeat rei probandæ? Dicit enim Apo- 22  
stolus non *tuam ipsius conscientiam, sed alterius*, quicumq; ille sit, 22  
sive convivoris sive convivæ; Tuam enim conscientiam quod 22  
attinet, salva ea foret, te rectè informato de adiaphoris, & liber- 22  
tate tuâ utente, etiamsi ab alio forte judicaretur. Quod enim no- 22  
cet, ab alterius conscientia tuam judicari libertatem? Tibi id non 22  
nocet, sed *proximo* infirmo nocere potest. Ideoq; non tui causa 22  
id dico, sed proximi, cujus infirmitati ex charitate debitâ est con- 22  
sulendum. Nullô tamen jure calumniam pateris, si cum gratia- 22  
rum actione cibum quemcunq; participaris. Omnes enim per 22  
preces sanctificantur *1. Tim. III. 14.*

V. 31. Εἴτε ἐν ἐσθίεσσι εἴτε πίνετε, εἴτε πι ποιεῖτε, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε 22

Id est cavete, ne ullo vestro facto ἐκπεριστάσεως Dei honor 22  
lædatur. Dictum est Hebræorum מְשַׁחֵם מַיִם יְהוָה מְשַׁחֵם 22

כַּל Est id in Pirke Aboth & apud Maimonidem 22

V. 32. Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ ἰσθαίσις, ἢ ἐλλησι, ἢ τῆ 22  
ἐκκλησια τῶ Θεοῦ. 22

Ἀπρόσκοποι hic activè sumitur pro eo qui neminem offen- 22  
dit, id est deteriolem facit כַּל מְשַׁחֵם. Vide præceptum 22

vetans

“ vetans CLXVIII. Act. XXVI, 26. ubi de hâc voce egimus. Judæi  
 “ si quis Christianus idoleo ederet, aut ad immolatitia vocatus  
 “ iret, dicebant: Ecce quàm verè illi dicant, se unum DEum colere:  
 “ Græci dicebant, si illi hoc faciunt, nihil in idololatria mali esse  
 “ censent: Christiani adhuc teneri, impendentibus malis aliquibus  
 “ facilè ad defectionem impellebantur.

“ V. 33. Κεθωε κα γω παντα πεισιν αρεσκω.

“ Αρεσκω hic est profum μετωνυμικως - Vide Rom. XV, 1, 2.

“ Αρεσκω respondet verbis Hebræis כטו & רשי - Sensus idem,  
 “ qui supra IX, 19.

“ Μη ζητων τ' εμαυτη συμφερον, αλλα το των πολλων, ινα σωθωσι.

“ Vide supra 24. Æterna salus alterius nostris commodis mul-  
 “ tum præponderat.

*Generalibus regulis materiam præsentem concludit, omnia  
 facienda esse ad gloriam Dei, etiam in adiaphoris, in edendo &  
 bibendo, & ad proximi edificationem, ut nempe salutis proximi  
 habeatur ratio, ne eidem in ejusmodi indifferentibus ponatur  
 aliquod offendiculum. Quâ in re exemplum sese sistit Aposto-  
 lus, quod placere studeat omnibus non per ανθρωπαρεσκεια  
 illicitam connivendo ad peccata, vel ablandiendo proximo, sed  
 in rebus liberis se quibusvis è libertate Christianâ, quoad ejus fie-  
 ri potest attemperando, vel potius omnibus inserviando, ut rectè  
 Grotius, ut omnium salus quærat, etiam cum proprio incommo-  
 do; non quod sibi utile; sed quod multis, ut salvi fiant. Quod  
 charitatis esse c. XIII. 5. infra docuit. Non nostræ saltem, sed &  
 proximi conscientia ratio habenda est, ne ea dictis aut factis tur-  
 betur. Idcirco in cibis etiam detrahendum est aliquid libertati  
 nostræ, si ea non sine læsione infirmorum usurpari posset: Quod  
 tamen semper de infirmis fratribus, ejusdem religionis sociis, &  
 nondum rectè in isto capite informatis intelligendum est. Propter  
 ceteros non est turbanda libertas nostra. Idq; in omnibus aliis  
 adiaphoris semper pensi habendum est: Non enim saltem quid  
 nostra, sed quid proximi ferat conscientia, videndum est;  
 ut rectè monuit. Balduinus.*

OS (O) SO  
 86

05 A 2453

ULB Halle 3  
003 792 20X




1072









*r. n. 7.*  
EXEGESIS LUCULENTA  
IN PRIORIS EPISTOLÆ  
AD CORINTHIOS

CAPUT X.  
CUM JUSTA DISCUSSIONE ANNO-  
TATORUM HUGONIS GROTHII,

*Quam*  
PRÆSIDE *Perb.*

*VIRO Summè-Reverendo, Magnifico, Amplissimo atq; Excellentissimo*  
DN. ABRAHAMO CALOVIO,  
S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. in illustri Academia VVitteber-  
genfi Primario consummatissimo, Templi Parochialis ibidem Pastore Vi-  
gilantissimo, Circuli Electoralis Saxonici Superintendente Generali  
Eminentissimo, & Consistorii Ecclesiastici  
Assessore Gravissimo,

*DNO. Patrono, Promotore, & Præceptore suo atatem  
devenerando,*

DISPUTATIONI PUBLICÆ SUBJICIT  
JUSTUS LUCAS WENZELIUS,

MECKLENBURG,  
IN ELECTORALI SAXONICA INSTITUENDÆ  
D, Julii Anno M DC LXXIV.

*WITTEBERGÆ,*  
EXCUDERAT JOHANNES WILCKIUS.